ANTONII THYLESII
CONSENTINI
OPVSCVLA

C. PLINIVS

Epiſtolar. lib. III. epiſt. 7.

Hoc quicquid eſt temporis futilis & caduci, ſi non datur factis; nam horum materia in aliena manu; certe ſtudiis proferamus.

ANTONII THYLESII

C O N S E N T I N I

QVI SAECVLO XVI CLARVIT

CARMINA ET EPISTOLAE

QVAE AB EDITIONE NEAPOLITANA EXVLANT

PRAEFIGITVR AVCTORIS VITA

A FRANCISCO DANIELE

CONSCRIPTA



N E A P O L I

EX TYPOGRAPHIA REGIA

ANNO CIƆIƆCCCVIII

Expensis Editoris.

VIRO CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE

EQVITI

IACOBO MORELLIO

BIBLIOTHECAE S. MARCI VENETIARVM

PRAEFECTO

REGIOQVE CONSILIARIO

FRANCISCVS DANIEL

S · P · D

VIx ab ephebis excesseram, quum anno superioris saeculi sexagesimo primo, ut periculum facerem si quid in bonarum artium studiis profecissem; de vita ANTONII THYLESII Consentini Commentarium scribere sum aggressus; eiusdemque Opuscula cum soluta, tum ligata oratione colligere institui; nec ea tantum, quae essent iam edita; sed etiam quae in forulis bibliothecarum delitescerent, undecunque corroga-

rogata, in unum corpus redigere; novamque eorum editionem parare; quae tandem Simoñianis typis, & quidem eleganter ornata, Neapoli prodiit. Cur vero THYLESII potius, quam alius cuiuslibet e numero tot noſtratium Scriptorum, qui ſaeculo decimoſexto doctrina & latine ſcribendi praeſtantia floruerunt opera, ut ad vitam revocarentur, mihi ſumpſerim, in cauſſa fuit amicitia, quae tunc temporis mihi intercedebat cum optimo ſene, nec litterarum prorſus ignaro Aemilio Ianutio, qui Thyleſiis affinitatis vinculo erat coniunctus. Gratificari itidem placuit Conſentinae Academiae, quae non ita pridem nomen meum in Sociorum ſuorum album referri mandaverat. At, quemadmodum in eiuſmodi rebus uſuvenit, abſoluta iam editione illa, nilque me de ea amplius cogitante, ecce tibi nonnulla Thyleſiana monumenta ſeſe inſperato obtulerunt, vel in libris non antea mihi viſis, vel in manu exaratis codicibus liberaliter ab amicis communicatis; quae omnia ego ſepoſui, ſicubi eſſent aliquando proditura. Accidit autem, ut ad me veniens, ſicuti facere conſueſcit, Aloiſius Thyleſius Oratorii Neapolitani Presbyter, rogare coeperit, efflagitare nunquam deſierit, quid dicam?

cam? precibus obtuderit, ut analecta illa lucis usura donare vellem, Vitamque Auctoris recognoscerem, quae esset illis praefigenda; & ego, pro eo amore, quo prosequor iuvenem litterarum & pietatis studio praecellentem, non potui morem ei non gerere; & paucorum sane dierum spatio, dum rusticabar in vicinia Herculanensis municipii apud Aloisium Serram Cassanensium Ducem, virum amplissimum, & veteri necessitudine mihi coniunctissimum, libellum hunc adornavi. Quum vero typographo excudendum traderem; consilium coepi illum, & quidquid industriae a me sit in eo positum, ad Te, Vir doctissime, mittendi, Tuoque clarissimo nomini inscribendi; ut aliquod extaret grati animi testimonium erga Te mei: nam quae heic de novo proferuntur maximam partem a Te mihi fuerunt suppeditata; nonnullaque praesidia Tu mihi parasti, quibus Commentariolum meum augerem perpoliremque; ut praeteream eximium ingenium Tuum, summam doctrinam, vetustatem nostri amoris; quae omnia id a nobis iure quodam suo postulant. Te vero oratum & rogatum volo; ut, qualis ea cumque sit, nostrae voluntatis significationem, pro Tua humanitate aequi bonique ducas. Tu interea, doctissime

 Vir,

Vir, alteram Msstorum Marcianorum Recensionis partem a doctis hominibus tantopere expetitam emittere ne diutius differas; atque perficias trium Manutiorum, Manutianaeque Typographiae Historiam, cuius spem nuper iniecisti; valetudinemque in primis tuearis tuam. Vale, & nos ama. Franciscus Tachonus Marchio, vir ille ornatissimus, & utriusque nostrum amantissimus, Te plurima salute impertit. iterum vale.

Neapoli Kalendis Decembribus
Anno CIƆIƆCCCVII

LECTO-



LECTORIBVS HVMANISSIMIS

QVum Philippus Macedoniae Rex arma in Corinthios ferre minitaretur; omnes de communi ſalute ſolliciti, alii arcem munire coepere, alii milites ordinare, alii quae uſui eſſent miniſtrare. Diogenes vero, nil habens quod ageret; neque enim eo ad ullam rem utebantur; dolium illud ſuum ſurſum deorſum volvere non deſinebat; atque cuidam interroganti, uti fieri ſolet, quid ageret, & quorſum haec faceret? reſpondiſſe ferunt, ſe dolium verſare, ne ſolus ipſe otioſus inter tot negotioſos videretur. Quod olim de ſe Diogenes, illud ipſum de me, Lectores humaniſſimi, dicere ego poſſum; ſcilicet ne inter occupatiſſimos noſtros homines ipſe ſolus in hoc meo otio vitam agere

desidem videar ; chartulas iamdiu consarcinatas excutere institui , quod est dolium meum volvere ; quasque in publicum proferre duxi , pro virili parte ornare . Hinc factum est , ut post *Numorum Campanorum* editionem , hanc ANTONII THYLESII Opusculorum nunc curarem ; & donec ad exitum perducatur , si vita viresque suppetent , Opus historicum magni moliminis , industriaeque plane singularis , quod pluribus ab hinc annis in manibus habeo ; recipimus brevi daturos *Topographiam veteris Capuae* solertia qua fieri potuit investigatam , vetustisque monumentis illustratam ; iunioris *Peregrinii Vitam* accuratissime conscriptam , aliaque vobis , humanissimi Lectores , non iniucunda sane futura . Quae omnia indicio esse poterunt , mihi , non tantum iuventutis meae ; sed provectae huius aetatis studia , quin & ipsa ocia ut sibi perpetuo constarent semper fuisse curae . Valete , & bene rem gerite .



ANTO-

1.



Pasq. Grigoni delin. Raph. Aloja sculp.

ANTONIVS THYLESIVS

PHILOLOGUS ET POETA

Ex antiqua tabula in Pinacotheca Consentinorum doctrina praestantium apud Spiritos Nobiles Consentinos



ANTONII THYLESII
CONSENTINI
VITA
AVCTORE FRANCISCO DANIELE

Telesia, sive Thylesia gens si unquam amplitudine, dignitate, rebus gestis, opibusque crevit (*a*); inter reliqua sua decora, illud non ultimo loco accenseri debet, tot in lucem protulisse illustres litteris & eruditione viros (*b*): quin, si rem recte pute-

(*a*) Ab usque anno CIƆCCLI. mihi se offerunt Petrus, eiusque filius Guilelmus Thylesii; alter gratia, qua apud Fridericum Imp. florebat; alter Seminariae dominatu ea tempestate longe clarissimi. Fuit & Antonius, huius nominis primus, a Ludovico III., cui a consiliis erat, & a Iohanna II. summo in pretio habitus. Plerique alii ex Thylesia gente recensentur plurium Oppidorum variis temporibus Dynastae, Caelisani nempe, Castrifranci, Marani, & Bonifati. Hac de familia fusius Hieronymus Samblasius (*Ragg. della Città di Cosenza, e di* XXXI. *sue nob. fam.* pag. 179. Nap. 1639. 4°.), & Fabricius Castellioneus Maurellus (*de Patric. Consent. Nobilit. num.* XLV. *pag.* 67. Venet. 1713. fol.)

(*b*) Hi sunt Nicolaus ICtus insignis; quique de Venetiarum urbis laudibus Poema exaravit; Ioh. Ba-

putemus, ex eo tantum capite vel praeclarissimis apud Brutios iure meritoque anteferetur. Quos inter quum profecto omnium clarissimus, praeter unum Bernardinum philosophicis studiis supra ceteros non modo Familiae aut Patriae, verum etiam Italiae celebratissimum, ANTONIVS extiterit; de eius Vita & scriptis Commentariolum, cum ad revocandam tanti viri memoriam, oblivione & situ paene oblitteratam, tum ut eius purum elegansque dicendi genus numeris ligato & soluto sermone, tamquam absolutum ad imitandum exemplar proponatur, accurate quantum per monumentorum inopiam poterimus, scribendum suscepimus. Natus est ANTONIVS THYLESIVS Consentiae anno circiter ab adventu D. N. IESV CHRISTI CIƆCCCCLXXXII., si fides habenda sit Spiriteo (*a*). Hieronymus vero Tiraboschius, amicus meus summus dum fata Deusque sinebant, animadvertens (*b*), THYLESIVM ipsum CIƆIƆXXX. & sequenti anno aetatem causari, quo minus Venetias repeteret (*c*); sibi persuaserat nativitatem eius esse praefigendam aliquot retro annis; perinde ac si homo

Baptista Petrarchae explanator; ANTONIVS ipse, cuius Vitam scripturi sumus; & Bernardinus cognomento Philosophus: de quibus omnibus locupletissime commentatus est Salvator Spiriteus (*Memor. degli Scritt. Cosent.* pagg. 21. 39. 47. 83. Nap. 1750. 4.°) His addi potest Marcus Antonius, poeticis studiis clarus (*Fontanin. Eloq. Ital. pag.* 346. Rom. 1736. 4.°): nullam vero de eo factam esse a Spiriteo mentionem, non est cur mireris; quum alii quamplures Consentini Scriptores exciderint viro alioqui in historia litteraria satis versato; quorum nomina, & operum notitiam a me illi suppeditata fuisse memini, dum ad incudem revocatum opus, iterum edere cogitabat.

(*a*) *Ibid.* (pag. 39.) ANTONIO TELESIO . . . *nacque il* 1482.

(*b*) *Stor. della Letter. Ital.* (to. VII. par. IV. pag. 1496. Mod. 1792. 4.°)

(*c*) Vide eius *epist.* pag. 40. huius volum.

mo plus minus quinquaginta natus annos, non poſſit excuſationem ab ingraveſcente aetate petere. Patre uſus eſt diligente, indulgente, &, ut ea ferebant tempora, in primis litterarum ſtudioſo. Huius opera a primis annis omnibus iis rebus fuit ornatus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, praecipue ſuavitate morum, & vitae innocentia. In litteris perdiſcendis praeceptorem habuit Thydeum Actianum ſive Acciarinum Picenum, qui ſub id fere tempus magna famae celebritate iuventutem Conſentinam in humanioribus ſtudiis publico ſtipendio erudiebat (*a*). Quot heic quantasque progreſſiones fecerit THYLESIVS, vel me tacente, is intelliget, qui divinos eius foetus, vel obiter, luſtraverit. Brevi enim tantum ad Muſarum adyta proceſſit; ut aetate provectiores vicerit, nedum ſuis aequalibus longe plurimum antecelluerit. Hinc nemo non eius praecox admirabatur ingenium; quodque herbeſcentis ſpei teneritudo praeter omnium expectationem ad eam maturitatem perveniſſet, omnes uno ore omnia ei bona dicebant, parentisque fortunam praedicabant. Verum haec, quae ceteris licet

(*a*) SERTORIVS QVADRIMANVS (*Iſt. di Coſenza MS.*) cuius autographon extat in noſtra bibliotheca: *Tideo Acciarini . . . il quale ne' tempi de' noſtri biſavoli fu chiamato ſin dalla Marca a leggere lettere umane in Coſenza*: & paulo poſt: *Coſtui* (l'Acciarini) *venne a noi da lontane contrade per ammaeſtrare la gioventù Coſentina*. Audi Thydeum ipſum ſcribentem ad Angelum Politianum: *Sum ego*, ait, *ex agro Piceno oriundus; ſed, fatis volentibus, & novercante Fortuna, in Bruttiis Coſentiae profiteor: & qui hactenus Principum familiaritate ſum uſus; nunc, ſideribus adverſantibus, ludum aperui*. (*Epiſtol. ill. Viror. edition. Aſcenſian.* 1499. *fol. epiſt.* 103.) De eo, deque eius Conſentina profeſſione verba fecit ſemel iterumque Politianus ipſe (*Epiſtolar. lib.* VI. *epiſt. ad Philipp. Beroald. pag.* 75. *& lib.* VII. *epiſt. ad Thydeum ipſum pag.* 89. Baſil. 1553. fol.)

cet non temere tanti erant, minime eius animum commoverunt; quin imo, quo semper de se demisse sentiret, effecerunt. Quare non heic sibi subsistendum; verum ulterius improbiore labore impensioribusque studiis progrediendum existimavit. Namque secum animo reputans nec hilum se proficere posse in eloquentiae studiis, nisi optimos quosque auctores ad imitandum sibi proponeret; eosque nocturna diurnaque manu versando, in succum veluti & sanguinem converteret; in elegantissimis tantum utriusque linguae scriptoribus legendis, iuventutem suam deinceps collocare statuit. Currenti calcaria exemplo suo addere visus est Ianus Parrhasius, cum eo non communis patriae tantummodo, sed affinitatis quoque vinculo coniunctissimus: vir ad profligandam barbariem natus; quique iure optimo saeculi sui Varro est appellatus (a). Ut autem eam dicendi facultatem, ad quam toto animo contendebat, assequeretur; praetereaque graecis litteris, graecorumque philosphia imbueretur, Romam perrexit (b), tunc temporis omnibus bonis artibus, in tanta doctissimorum praeceptorum copia, florentem: etenim quum sub Eugenio IV. de Orientalis & Occidentalis Ecclesiae concordia in Concilio Florentiae habito ageretur, complures ex Patribus Graecis illuc convenientibus, in offensionem suorum lapsi, apud

(a) IOH. MATTH. TOSCANUS (*Pepl. Ital. lib.* III. *num.* CV. *pag.* 63. Paris. 1578. 8.°)
Ille sui Ianus saecli Varro, ille veternum
Torpentem excussit, turba magistra, tibi.
Addita Cecropiae doctrina claustra refregit,
In Latiumque tuas transtulit, Hellas, opes . . .

(b) Carmin. *Adoptivor. pag.* 28.

apud Pontificem Romanum remanſerunt (a); atque inter eos Beſſario Archiepiſcopus Nicaenus, mox Cardinalatu honeſtatus; de cuius eruditione atque ſingulari erga Romanam Eccleſiam pietate nulla unquam aetas conticeſcet (b). Et non multo poſt, capta & ſubverſa a Mahumete II. Conſtantinopoli, quo, veluti ad mercaturam bonarum artium, ut de Athenis ſcriptum legimus, e Graecia univerſa concurſus fieri ſoliti erant; expulſi inde doctiſſimi homines, in Italiam ad Pontificem Romanum, ceterosque Principes Chriſtianos venerant; quos inter facile eminebant Demetrius Calcondiles, Conſtantinus Laſcaris, Theodorus Gaza, & Emmanuel Chryſoloras (c). Verum in Vrbe haud perpetuo conſiſtendi fuit THYLESIO mens; ſed Italiam, ad capiendum ingenii cultum, ſtatuit peragrare: ex eaque peregrinatione, eruditorumque virorum conſuetudine factum eſt, ut brevi inter doctiores illius aetatis merito ſuo exiſtimaretur. Hinc Mediolanenſes ſingulari flagrantes ſtudio patriam Academiam viris omni diſciplinarum genere ornatis augendi exornandique, eum, amplo & magnifico conſtituto ſtipendio, acciverunt; ut publice Graecos Latinosque ſcriptores iuventuti interpretaretur: quumque in eam Civitatem profectus

 eſſet,

(a) ALLATIVS (*de Eccleſ. Occident. & Orient. perpet. Conſenſ. lib.* III. *cap.* I. *pag.* 876. Colon. Agripp. 1648. 4°)

(b) IOVIVS (*Elog. ill. litt. Viror. in Beſſarione pag.* 43. Baſil. 1577. fol.)

(c) ALLATIVS (*ibid. lib.* II. *cap.* XVII. *pag.* 853.) *Quare Graeci, etiam ipſi prudentia ac doctrina illuſtres, tanta rerum immutatione ac calamitate perterriti, & iam inſtans Nationis excidium praeſagientes; patria privati, vagique, & exules per terras alienas, in quibus domicilii ſedem locarent, errare voluerunt. Inter eos praecipui fuere Emmanuel Chryſoloras, Theodorus Gaza . . .*

esset, quae antiquitate, humanitate, doctrina praestabat omnes; ei unus ante alios fuit carissimus (*a*). Inter ceteros discipulos, qui eum Mediolani docentem frequentes audivere, recensentur Ioh. Iacobus Ammianus Collegii postea Tigurini Rector, Rhodulphus Collinus mox in eodem Collegio Graecae linguae interpres (*b*), & Bernardinus Thylesius fratris filius, qui illuc Consentia se contulerat, quo commodius apud patruum melioribus litteris vacaret (*c*); mox in arenam descensurus adversus Aristotelem eiusque sectatores, libertatis philosophandi adsertor & vindex acerrimus (*d*); cuius egregii facinoris gloria omnino omnis tribuenda est ANTONIO, qui

(*a*) QVADRIMANVS (*degli Uom. ill. Cosent. MS.*) quod opus autographum est penes me: ANTONIO TELESIO . . . *lesse pubblicamente nella sua giovanezza in Milano con molto applauso di quella Nobiltà.*

BANDELLVS (*Novell. to.* IV. *nov.* XIII. *pag.*85. Lione 1573. 8.°) inducit THYLESIVM ipsum de semetipso in hanc sententiam loquentem: *Dovete sapere, che al principio, ch' io fui condutto in questa Città* (di Milano) *con pubblico e honorato salario, per isporre Poeti e Oratori a la nobilissima Gioventù Milanese; mi trovai un giorno di brigata con alcuni uomini da bene, tra li quali era il dotto e integerrimo Patricio di questa Città M. Castellano Cotta . . .*

Idem Bandellus alio loco meminit THYLESII (*Novell. to.*III. *nov.* IV. *pag.*21. Lucca 1554. 4.°)

(*b*) GESNERVS (*Biblioth. Univers. pag.* 63. Tiguri 1545. *fol.*) ANTONIVS THYLESIVS *Consentinus Mediolani cum alios discipulos bonis litteris instituit, tum ex nostratibus Ioh. Iacobum Ammianum Tigurini Collegii Scholarcham, Latinaeque linguae professorem, colendissimum praeceptorem meum; & Rhodulphum Collinum in Collegio nostro Graecae linguae interpretem; cui ego etiam propter eius linguae quantulamcunque sum adeptus cognitionem plurimum debeo.*

(*c*) THVANVS (*Histor. lib.* LXXXIX. *ad. ann.* 1588. *to.* IV. *pag.* 548. splendidissimae editionis Londinensis): *Octobri ineunte Cosentiae, quae illi patria erat, in Calabria ultimum diem clausit Bernardinus Telesius, qui* ANTONIVM *patruum habuit philosophicis studiis celeberrimum; ab eoque Mediolani institutus.*

(*d*) BACON. DE VERVLAM. (*de Princip. atq. Originib.* pag. 218. seq. Amstelod. 1685. 12.°) *De Telesio autem bene sentimus; atque eum ut amantem veritatis, & scientiis utilem, & nonnullorum placitorum emendatorem, & novorum hominum primum agnoscimus,*

qui ei a puero rudimenta ſanioris philoſophiae animo inſtillavit. Quo autem tempore Mediolanum venerit THYLESIVS, nihil certi auſim proferre; ſed id accidiſſe videtur anno CIƆIƆXVII.; idque mihi libentius perſuadeo, quum extet inter eius Carmina poëmation ſane longum (*a*), in quo narratur quemadmodum turris in arce Mediolanenſi circa illud tempus, icta fulmine, tota diſſiluerit (*b*). Eum peculiari ſtudio, ut alios omittam, complexi ſunt Trivultii, qui genere, opibus, auctoritate ante alios in Civitate maxime florebant; quumque Ioh. Iacobo, eorum gentili, ſtrenuiſſimo exercituum imperatori, in Gallia morte functo, ſolemni funeris apparatione in patria parentarent; non niſi ANTONIVS delectus eſt, qui defunctum pro roſtris in concione laudaret (*c*); atque hic ſupremus felicitati illius cumulus acceſſit, laudator eloquentiſſimus, quemadmodum fuit de Virginio Rufo ſcriptum (*d*). Ni bellum, quo per id temporis Mediolanum cum ſua ditione univerſa ſaeviſſime iactabatur (*e*), in cauſſa fuerit, cur Romam concedendi conſilium cepiſſet THYLESIVS, nullam prorſus aliam ſcirem afferre. Venit igitur in Vrbem anno CIƆIƆXXIII., quo tempore Iulius Cardinalis Medices, adſcito Clemen-

 tis

(*a*) *Carmin. lib.* I. *num.* VI. *pag.* 64. noſtrae editionis.

(*b*) GVICCIARDINIVS (*Iſtor. d' Ital. lib.*XIV. *pag.*546. Firen. 1561. *fol.*)

(*c*) Toto coelo errare videtur Toppius (*Bibliot. Napolet. pag.* 32. Nap. 1678. *fol.*), qui ait THYLESIVM Romae habuiſſe orationem in obitum Trivultii; illumque erroris merito inſimulavit Tiraboſchius (*ibid. pag.* 1497.); & oratio ipſa Mediolanenſibus typis fuit edita anno CIƆIƆXIX. 4°

(*d*) PLINIVS (*Epiſtolar. lib.* II. *epiſt.* 1.)

(*e*) GVICCIARDINIVS (*ibid. lib.* XV.)

tis VII. nomine, ad Pontificatum Maximum fuit evectus (*a*). Praesens excepit omnium Ordinum gratulationes; deque ea re dedit epistolam ad Alexandrum Cacciam Florentinum (*b*). Amplissimo Datarii, uti aiunt, munere fungebatur Ioh. Matthaeus Gybertus, litterarum litteratorumque virorum patrocinium firmissimum (*c*). Hunc, quamvis esset natura non satis facili (*d*); consuetudine sua sic sibi devinxit ANTONIVS noster, ut nemo ei perpetuo fuerit carior; quo factum est, ut huic omnia beneficia, quae posset, deferret; quorum in numero illud praecipuum est; quod eius opera inter Professores in Romano Gymnasio cooptaretur (*e*): ibique Poetas latinos interpretatus est, ab Horatio auspi-

(*a*) CLEMENS VII. renunciatus est Pontifex Max. XIII. Kal. Decembres CIↃIↃXXIII. (*Ciaccon. Vitae Romanor. Pontiff. to.* III. *pag.* 443. Rom. 1677. *fol.*)

(*b*) In nostra editione pag. 123.

(*c*) BEMBVS (*Epistolar. famil. lib.* V. *epist.* 21. *ad Polum pag.* 216. Venet. 1552. 8.°) *Gybertus . . . ad eam, qua nunc quidem apud Pontificem est auctoritatem & gratiam, quae profecto quantae sint, omnes tam homines intelligunt, summam vitae integritatem . . . adiunxit; quodque tibi iucundissimum esse debet, cum litterarum & bonarum artium studia, quantum ab homine occupatissimo fieri potest, tum in doctis hominibus fovendis, iuvandis, honestandis egregiam, & mirificam voluntatem.*

(*d*) TVRRIVS (*Lett. di* XIII. *Uom. ill. lett.* 16. *al Gualteruzzi lib.* V. *pag.* 176. Ven. 1565. 8.°). *Che, benchè la sua natura* (del Giberti) *non avesse sempre tutta quella dolcezza, che averta desiderata la mia; temperava poi la sua imperfezione in quella parte con tante altre perfezioni; che quella austerità non potea offendere.*

(*e*) ZILIOLIVS (*Istor. de' Poeti Italiani* MSta in Bibliotheca Angelica): ANTONIO TILESIO... *ebbe il carico di leggere i poeti nelle pubbliche Scuole di quella Città* (di Roma) *favorito da Matteo Giberti allora Datario*. Ziliolii de THYLESIO testimonium nobiscum communicavit Benedictus Stayus, vir omni praeconio maior; mihique a prima aetate, quae eius fuit humanitas, coniunctissimus; cuiusque memoriam semper acerbam, semper honoratam habebo.

CARAFA (*de Gymnas. Roman. lib.* II. *cap.* 1. *pag.* 313. Rom. 1751. 4.°)

RENAZZI (*Istor. dell' Univ. de' Stud. di Rom. to.* II. *pag.* 84. Rom. 1804. 4.°)

ſpicatus ; ut patet ; praêter Paulli Iovii teſtimonium *(a)* , ex eius Praelectione in hunc auctorem elegantiſſime ſcripta *(b)* . Neque heic ſilentio praetereundum eſt pingue ſacerdotium, quo ab eodem Gyberto fuit donatus, ut ipſe Iovius eſt auctor. Quare, ut aliquod grati animi ſui monumentum apud poſteritatem erga tantum tamque munificum patronum relinqueret, *Poematum*, & *de Coronis* libellos ipſi Gyberto nuncupavit, atque ſub eius ſplendidiſſimo nomine promulgandos curavit. Coluit Romae Iovium ipſum , omnium latina eloquentia diſertiſſimum *(c)* , & Hieronymum Vidam , quem poſt veteres multo elegantiſſimum poetam fuiſſe vere videor poſſe contendere , neque minus virum bonum , optimiſque artibus eruditum *(d)*. Vtebatur etiam heic familiariſſime Coriolano Martyrano, & Franciſco Franchinio conterraneis ſuis *(e)*; quorum alter elegantius, quam antea eſſet factum, Graecos auctores in latinam linguam vertere conabatur, idemque orator non infacundus *(f)*; alterum vero in condendis carminibus omnis generis facilitate & elegantia nemo ſuperabat *(g)* . Romae morabatur

AN-

(a) *At Romae in Gymnaſio Horatium comiter & tenere profeſſus eſt (ibid.)*

(b) In noſtra editione pag. 207.

(c) (*Epiſt. ad Cacciam* pag. 227. noſtrae editionis.)

(d) (*L. c.*)

(e) FRANCHINIVS (*Epiſt. ad Coriol. Martyran. inter huius Epiſtol. pag.* 35. Neap. 1556. 8.): THYLESIVS *quoque accerſatur; ut tot cives in alieno ſolo una coniuncti Romae Coſentiam videre videamur.*

(f) SPIRITEVS (*ibid. pag.* 58.): *Coriolano Martirano ... ſcriſſe molte piſtole, orazioni, e verſi latini; ma ſpecial cura egli poſe nel tradurre in metro moltiſſime opere de' Greci ſcrittori; nelle quali non meno il pieno dominio del puro latino idioma, che il ſuo maturo e chiaro diſcernimento ſi ſcopre.*

(g) Idem (*ibid. pag.* 49.): *Franceſco Franchini . . . compoſe ſopra vario ſoggetto in verſi e in proſa con egual felicità.* Et paullo poſt: *Il ſuo ſtile è nobile e ſoſtenuto nell' epigrammatico.*

ANTONIVS, cum exercitus Germanicus frustra a Duce Borbonio maiora stipendia deposcens, propriae inopiae ex Romana direptione provisurus, in Vrbem iamdiu oppugnatam repentina vi irrupit (a). Quid ab efferatissimis hostibus in Romanas res, quid in homines, quid in sacras aedes, sacramque aedium supellectilem, quid in dicatas Deo virgines actum sit, huius loci non est referre (b). THYLESIVS, qui pene divinitus tantum periculum incolumis effugerat, metu ne tumultuantium hostium impetu repetito obrueretur, alio sibi commigrandum putavit. Quare Venetias contendit; quo studiis suis tutius tranquilliusque obsequeretur. Ibi brevi pervenit in intimam familiaritatem omnium eruditorum virorum, quibus urbs illa, litterarum parens altrixque, prae ceteris abundabat. Nec multo post in lucem emisit, opera Bernardini Vitalis typographi celeberrimi, libellum de *Coloribus*, & Tragoediam, quae *Imber Aureus* inscribitur: hinc amicitiis satis, neque minus suarum virtutum fama commendatus abs Concilio X virum, quorum auctoritate res agebatur, praefigitur Reipublicae Scribis erudiendis, cum ei stipendium centum aureorum publice praeberetur (c). In

(a) IOVIVS (*ibid.*)

(b) Direptionis Vrbanae historiam litteris consignavit Franciscus Guicciardinius, & post eum alii; omnium vero diligentissimam descripsit Leonardus Antonius Sanctorius popularis meus; eaque nondum edita servabatur in nostra bibliotheca; quam, ut edendam curaret, tradidimus iuveni ornatissimis moribus, litterisque non vulgatibus Michaeli Tafurio; sed litium tricae, quibus ille paene obruitur, impedimento fuere, quominus huic nostro desiderio hactenus fecerit satis.

(c) MARINVS SANVTVS in *Ephemeridibus*, quae MStae extant in Bibliotheca S. Marci Venetiarum, quarum copiam nobis fecit Iacobus Morellius, vir humanissimus, de THYLESII electione haec habet: 1527.

In eoque munere, haud multos annos, ut ſibi perſuaſerat Auguſtinius (*a*); ſed duos tantum exegit ANTONIVS; nam anno CIƆIƆXXIX. iter in patriam ſuſcepit: quumque de eius reditu dubitari Venetiis coeptum eſt, Egnatius, qui quo animo eſſet in THYLESIVM mox videbimus, Romulo Amaſaeo conditionem illam (*b*), ut ipſe loquitur, obtulit. Interim Conſentiae longius eum immorantem amici eius, crebris litteris interpellabant urgebantque, ut quamcitiſſime ad eos rediret: quumque in aliquot menſes reditum is diſtuliſſet ſuum, vix ac ne vix quidem illi moram patiebantur; orta namque ſuſpicio erat fuiſſe alio invitatum ad litteras profitendas; in epiſtola vero ad Benedictum Rhambertum ſodales ille orat obteſtaturque, ne ſe mutatae voluntatis arguerent (*c*); affirmans non modo Raguſinis, qui ducentum aureis eum publico decreto bis acciverant (*d*), et Mediolanenſibus, id ſe negaſſe;

1527. 17. *Ottobre. In queſta mattina fu prinzipià a lezer in Humanità per* ANTONIO TELESIO *Conſentino, noviter condutto a lezer alli Secretarii per il Conſiglio de' Dieci; con ducati* 100. *all' anno.*

(*a*) *Scrittori Veneziani* (*to.*II. *pag.* 557. Ven. 1754. 4.°)

(*b*) *Litterae Egnatii* ad Romulum inter (*Epiſtol. cl. Viror.* pag. 142. Colon. Agripp. 1586. 8.°) *Quod ut re intelligas ipſa, conditionem tibi honeſtiſſimam; & quam optare votis etiam debes, offero. In* THYLESII *noſtri locum, viri ſane & egregie litterati, & certe plus boni, quam ut haec ferant tempora, cupio te adſciſcere. Capies ex induſtria tua centena quinquagena annua...* THYLESIVS *centena tamen meruit; tu quinquagena inſuper referas mea commendatione.* Adi etiam reſponſionem Amaſaei (*ibid.* pag. 145.)

De amoebeis hiſce epiſtolis conſulendus eſt Auguſtinius in *Vita Egnatii*, quae occurrit in *Opuſculis Calogeranis* (to. XXXIII. *pag.* 149.)

(*c*) *Epiſt. pag.* 46. huius volum.

(*d*) *Pag. ſeq.*

In more poſitum fuiſſe apud Raguſinos, ut advocarent eruditos homines, qui publice inſtituerent iuventutem ſuam, mandavit litteris nuperus Hiſtoriae Reipublicae illius ſcriptor cl. vir Fran-

gasse; verum etiam patriae ipsi, et urbi huic florentissimae Neapoli (*a*); testaturque eo animo Venetias se remigraturum; ut reliquum omne vitae suae tempus cum amicis ibi transigeret. Sed verba dare THYLESIVM magnificis hisce pollicitationibus, illorumque expectationem fallere, quod homine docto reputamus prorsus indignum, abunde nos docent litterae, quas dederat Galeatio Capellae, sive Caprae (*b*), quibus eum aliosque necessarios maiorem in modum rogat; ut omnem operam impendant suam, ut ipse Mediolanum honesta conditione revocaretur; etsi ab Consilio Xvirali tunc auctum stipendium illi fuisset ad centum et sexaginta florenos (*c*). Sed omnia frustra fuere, propter incon-

Franciscus Maria Appendinius; qui ex publico Tabulario depromptum, recitat (*to.* II. *cap.* VIII. *pag.* 204. Ragus. 1803. 4.°) Senatus Decretum, quo invitatus fuerat Demetrius Chalcondyles, huc transferendum in gratiam vetustatis: *Die* IV.° *Augusti* MCCCCXC. *Conf. Rog. Prima pars est de conducendo pro magistro Scholarum ad docendum litteras Graecas & Latinas famosum virum Demetrium ad praesens habitantem Florentiae pro annis duobus, incipiendis die, qua intrabit barcam navigaturus Ragusium, cum salario Hyperperorum* (aureorum) *quingentorum in anno*.

(*a*) SAMBLASIVS (*l. c. pag.* 200.) addit THYLESIVM fuisse arcessitum a Carolo V. in Caesaream aulam, ut Philippum filium optimis quibusque artibus erudiret; sed cum de ea re nullam usquam vir ambitiosissimus faciat mentionem; merito subleslae fidei scriptorem illum arguit Spiriteus (*l. c. pag.* 40.) Praeterquamquod Philippus sub id temporis in ea erat aetatula, natus quippe est anno CIƆIƆXXVII. (*Struv. Hist. Germ.* to. II. *pag.* 1123. Ienae 1753. 4.°), qua praeceptore nondum indigeret.

(*b*) Id erat illi nomen, quod fugit cl. Maffeium (*Veron. illustr. pag.* 216.) Fuit Galeatius vir doctus, scripsitque, praeter cetera, *Commentariolum de bello Mediolan.* seorsim saepius editum, & novissime in *Thes. Graevio-Burmann.* (to. II. *par.* IV. *pag.* 1251.). Idem non solum italice, sed etiam germanice versum cum praefatione Martini Lutheri, Vitembergae prodiit 1538. 8.° (*Buder Biblioth. Scripp. Germ.* praemissa Struvio *pag.* 70. 192.)

(*c*) *Catastico de' Sigg. Riformatori dello Stud. di Pad. vol.* I. *pag.* 148. t. (apud Augustinium *l. c. pag.* 559. *n. c.*)

conſtantiam hominis; tandemque provincia illa docendi Scribas Venetos obtigit Iovitae Rapicio Brixiano *(a)*. Prae ceteris auditoribus, quos Venetiis habuit THYLESIVS, a nobis eſt perhibendus Benedictus Rhambertus, cum propter viri eruditionem minime vulgarem *(b)*, tum propter amorem adverſus praeceptorem profecto ſingularem. Quam quidem benevolentiam & abſens ille ſumma fide perpetuo ſervavit: quum enim Carolus V. conventum, Dietam appellant, per ea tempora Auguſtae coegerit; illuc proficiſcendum Rhamberto fuit *(c)* cum Nicolao Theupolo Venetorum Reipublicae Legato, cui tunc erat a Secretis; verum is in tanta locorum intercapedine, in eaque negotiorum, quibus diſtinebatur, magnitudine gravitateque, ANTONII cogitationem nunquam abiecit; illiusque revocationem urgere minime deſtitit; namque in litteris ad Franciſcum Otthobonum *(d)*, unum ex ſuis collegis in Ducali Cancellaria, qui poſtea Magnus Reipublicae Cancellarius evaſit, ſubiraſcitur Scribarum maximo, is erat Andreas

 dreas

(a) SANVTVS (*l.c.*) 1531. 7. *Ottobre Fu preſo di condur a lezer Humanità alli Cancellieri in luogo di D.* (dotto) ANTONIO TELESIO, *che non è venuto; e fu condutto uno dotto, qual leze a Vicenza nominato D. Iovita.* Iovita ipſe in epiſtola *ad Magiſtrat. civeſque Brixian.*; quae extat in eadem Collectione *Epiſtolar. cl. viror.* (pag. 106.) CARD. QVIRINIVS (*de Litterat. Brixian. vol.* II. *pag.* 93. Brix. 1739. 4.°)

(b) De Rhamberto fuſe & diligenter, id eſt, more ſuo, agit AVGVSTINIVS (*ibid. to.* II. *pag.* 556. *ſeq.*) Nec eſt praetereunda praefatio Paulli Manutii, numero ſeptima in editione omnium locupletiſſima Krauſiana illius Epiſtolarum (*pag.* 805. Lipſ. 1720. 8.°), qua libros M. Tullii *de Officiis* Rhamberto inſcripſerat; laudum & meritorum eius pleniſſima. Alias Rhamberto dedit Manutius litteras, quae in eadem editione proſtant lib. II. numero undecimo (*pag.* 89.)

(c) AVGVSTINIVS (*l. c. pag. ead.*)

(d) Huius ex fratre nepos fuit Marcus Antonius; ab eoque natus eſt Alexander VIII. Summus Pontifex.

dreas Franciſcius, quique etiam Magnus Reipublicae Cancellarius deinceps fuit, quod non ita vehementer incumberet, ut vir ille Venetias remigraret (*a*); aliaque epiſtola eidem data THYLESIVM ipſum omni ſtudio excuſare nititur de eius reditus dilatione (*b*); ter-

(*a*) *Grata mihi fuit epiſtolae tuae pars, qua mihi ſignificas litteras noſtras per certum hominem ad* THYLESIVM *iampridem fuiſſe delatus; gratior tamen illa* (qua f.) *Franciſcium Scribarum Maximum, quod ille reditum non maturet ſuum, non ſine dolore ſubqueri; quae me dupliciter delectavit; nam & hanc rem illi curae eſſe, & litteras meas nihil apud eum, virum alioqui clariſſimum & prudensiſſimum perfeciſſe, omnibus cognoſcere facillimum eſt. Quod ſi mihi ea ſcribenti, quae hominis reverſionem aliquando retardarent, vel penitus impedirent, maiorem fidem eſſe habendam exiſtimaſſet; nihil eſſet profecto quod in praeſentia laboraremus. Sed quando res eo deducta erat, ut conſilio ac medicina egeret; neque tum illi defui; remediumque praeſens, ni fallor, ſtatim adhibui; ut videlicet publicis litteris, ſic etiam ex Xvirali decreto faciundum fuit, illum revocaret; quod quidem, mihi crede, hominem vel invitum, ad reditum impuliſſet. noſti quid mihi ſcripſerit. Quare ſi huic rei melius conſuluiſſet, ſe ipſum hac moleſtia liberaret; nobis non parvum, aut mediocre beneficium dediſſet; ac univerſae Venetae iuventuti maximo uſui & emolumento fuiſſet &c.* Auguſta XVII. Kal. Septemb. CIƆIƆXXX.

(*b*) *Exemplum litterarum* THYLESII *noſtri, quod ad me proximis diebus miſiſti, non invitus perlegi; ſed tamen ita me perturbavit primum, ut vario dolore affecerit. Deinde cognovi ſanctiſſimum virum, ubi valetudini ſuae diligentiſſime conſuluerit, navigationi conſulturum; & recenti ſpecula ſuſtentatus me paululum recreavi: ac non modo illius paucorum menſium deſiderium aequo animo ferendum cenſui; ſed etiam optandum, ut nihil, niſi plane confirmatus, properet; ſatis enim in tempore ad vos veniet, ſi ſatis firmus venerit. Itaque quoniam illic non deerunt, qui, dum ille adverſa Fortuna detentus; cuius plerumque caſibus parere, quam noſtris conſiliis cogimur; ſe per litteras purgat, de illo detrahant; viſum eſt mihi ab obſervantia & amore, quo hominem mirifice proſequor, eſſe alienum hoc paululum in hanc tibi ſententiam exarare; rogans videlicet te, ut apud Scribarum Maximum, virum cum doctrina, tum etiam ſingulari probitate ornatum, meique ſumme ſtudioſum agas; ut hominem non modo non mutatae voluntatis arguat; ſed eius etiam cauſam contra invidos delatoreſque ſuſcipiat. Ipſe etenim is eſt, qui omnibus in rebus tantum illi tribuit, quantum humanitas ſua & amplitudo,* THYLESIIque *virtus eximia poſtulat; qui ſuis ſententiis, praedicationeque illum saepiſſime ornavit, qui ſummis laudibus ad Coelum merito extulit, & cuius beneficia in ſe plurima ille & maxima ſaepius expertus eſt: quare*

tertioque, Orthobonum ipſum alloquens, acerbius inſectatur neſcio quem Conſentinum, qui in vulgus ſparſerat, THYLESIVM operam ſuam patriae locaviſſe (*a*): illum denique eo amore, eaque voluntate prae quovis alio proſequebatur Rhambertus; ut ali-

d 2 quan-

re quod dubitem nihil penitus eſt; quin ſi tu nervulos ac diligentiam, mihi non ſemel cognitam, hac in re adhibueris; illum daturum eſſe operam, ut ſi vir doctiſſimus morbo ingraveſcente, quod Deus avertat, redire hoc tempore nequiret; vel ſi convaleſcendi cauſſa, ei paululum commorari opus eſſet; vel denique, quod vere credendum eſt, ſe tam longo itineri ſive pedibus, ſive navigatione faciendum eſt, per hyemem, non bene firmum metueret committere; homines intelligant nihil ſe potius velle, quam THYLESIVM *valere. Nam cum commode, cum per valetudinem, cum etiam per anni tempus licuerit, eo Venetias animo redibit; ut reliquum aetatis ſuae tempus in ampliſſima & nobiliſſima urbe iſta omnino tranquille ducat; ſimulque ut Reipublicae noſtrae, quod ad reditum ultro paratum ac nihil penitus petentem adaucta conditione revocarit; ſi non parem, at certe non multo minorem in erudienda Veneta iuventute referat gratiam. Quantum hac in re abſens ego laborem, intelligis; potes nos multum apud hominem iuvare; quem etiam meo nomine ad id, ut ſpero, ſatis ſua ſponte paratum incitabis; eiuſque nobis animum litteris tuis, quas avide expecto, patefeceris. &c.* Auguſta XIII. Kal. Decembr. CIↃIↃXXX.

(*a*) *Quae mihi tuis litteris de* THYLESIO *nuntiata, ab aliiſque etiam confirmata non aequo animo ferre poſſum. Quid enim per Deum immortalem videtur eſſe abſurdius, a veroque alienius, quam id quod iſthic de viro graviſſimo iactatur? Ecquis, obſecro te, is eſt, qui ſe Conſentinum civem dixit? quid tandem nunciat? illum videlicet Conſentiae operam ſuam publice praeſtare? O hominem mendacem! ſi modo eſt homo; verum enim ne rumor aliquis ab infimo profectus, & invidorum vocibus ſuſtentatus ibi percrebuerit; ut iam ſit apud omnes plus valiturus, quam aut ſanctitas viri, aut doctrina, aut amor ille ſuus Venetae urbis, qui tamen valere plurimum debuit? Quare tuae mihi videntur eſſe partes hoſce falſos rumores comprimendi; ut ne quid novum decernatur; noſti enim noſtrorum ingenia, quam vel levibus de cauſis, quarum aliquando nullis, res durius accipiuntur, quam deberent, & quam modeſti homines ſolent. Verum & quid de illius reditu ſentiam ut cognoſcas, breviter explicabo. Ego qui non modo diuturna conſuetudine, quae mihi ſumma, ut ſcis, cum illo intercedebat, naturam hominis belle cognoſco; ſed cum a nobis diſceſſit, omnium illius conſiliorum particeps fuerim, eum omnino vernis diebus, niſi quid ſibi praeter ſpem, ac etiam praeter faſum acciderit, quod reditum penitus impediat, conſcenſurum eſſe affirmo. Adulta nunc hyeme, nihil eſt quod homi-*

quando ob id iratum ſibi fecerit Ioh. Baptiſtam Egnatium (a), hominem, ut libere dicam, parvi ac pravi animi; quales grammatici plerumque ſunt. Sed ut ad THYLESIVM redeat, unde digreſſa eſt oratio, anno exeunte CIↃIↃXXXI. Neapolim excurrerat,

hominem expectetis. Sed, inquies fortaſſe, cur nobis ſui reditus expectationes fruſtra commovit? cur elapſo martio menſe, quo rediturum ſe eſſe ſignificavit, repente in ſextili reiecti ſumus, neque tamen apparet uſquam? An neſcis quam mollis ſit eius animus? quanta in eo eſt comitas? Fratrum optimorum lacrimae, ex fratre nepotum ſuaviſſimorum moeror, & civium preces, eius, mihi crede, reditum retardarunt. Ad quem accelerandum & publice litteras ſcripſiſſe oportuit; quibus, ut arbitror, cives, nepotes, & fratres requieſcent. Quod autem ad eius operam cupiam praeſtandam attinet, unum te ſcire velim, illum mihi cum non ſemel coram in hunc ſermonem incidiſſemus, ſanctiſſime ſuis verbis, quibus ego tanquam oraculis, ſemper credere ſoleo, recepiſſe memini, quamvis (deeſt aliquid) *atque ſui ſtudioſiſſimum principem inveniret, quique aureos montes ſibi pelliceretur* (non f.) *praeſtiturum. Quod quidem ab ipſo nobis eſt confirmatum, quum a Raguſeis iam pridem non iniquam ſibi propoſitam conditionem, forti animo, ut omnibus notum eſt, repudiavit. Sed de* THYLESIO *ſatis &c.* Auguſta; ſed ſine die, & conſule.

(a) *Iratiorem mihi Egnatium eſſe litterae tuae demonſtrant, quantum credere vix poſſim. Cui enim rerum vel omnium imperito perſuaderi unquam poterit, hominem tam doctum, prudentem, philoſophum denique, quod* THYLESIVM, *virum item doctum, frugi, ac pene illi ſimilem, addo etiam de iuventute Veneta, id eſt, de univerſa Civitate, deque me ipſo optime meritum; quod amem, quod in Coelum laudibus efferam; id quod & a me factum adhuc aperte fateor, facturumque impoſterum ſedulo recipio, tantopere commoveri? Niſi id fortaſſe ſentiat* THYLESIVM *a me amari & laudari non poſſe, niſi reliquos homines oderim. Sed caveat, ne dum me, ut ille ait, puerum arguat; ſemetipſum in ſenectutem iam inclinantem eo nomine pariter damnet. Qui dum perpetua luculentaque, & nunquam profecto ſatis laudata oratione illa ſua, cui univerſa paene civitas interfuit, hiſtoriam miris laudibus extulit, poeticam, rhetoricam, philoſophiam denique diſciplinarum omnium parentem flocciſacere atque odiſſe hoc argumento perquam facile credi poſſet. Illud potius ſubvereri cogor, quod & tu quoque innuis Egnatium* THYLESII *amantiſſimum ac plane ſtudioſiſſimum, quod is pueriliter, hoc eſt frigidius, quam par ſit, a me cum laudetur, tum etiam ametur, aegerrimo ferat animo; verum licebit ut* THYLESIVM *gravius ac maturius amet, dum mihi, ut puero, hoc eſt ſimpliciter ac pure amandi locum relinquat. Nam ſi ſolus fortaſſe amare hominem contendat, temere fruſtraque in eo laborat. Non enim*

rerat, ubi inter alios bene litteratos viros, quorum aetate illa ſeges magna in hac urbe erat, familiariſſime uſus eſt Coriolano, et Bernardino Martyranis fratribus, popularibus ſuis (*a*), Scipione item Capycio, qui in iuris civilis ſcientia, et in latina poeſi primas apud nos tunc temporis ferebat; cuiusque nuptias cum Iunia Caracciola epitalamico carmine celebravit (*b*): quumque per illos dies parabatur editio Carminum Petri Gravinae, ex Academia magni Pontani unius, Capycio ipſo adnitente (*c*), THYLESIVS verſiculos ſane quam elegantiſſimos in editionem illam, et in laudem auctoris ſcripſit (*d*). Eo ipſo tempore gratiam iniiſſe videtur a Pompeio Co-

is eſt THYLESIVS, *qui amari poſſit ſine rivali. Sed ut ſerius. &c.* Auguſtae idibus Novembris CIↃIↃXXX.

Rhambertianarum epiſtolarum capita in haſce notationes derivata ex codice MSto ſaeculi XVI., qui fuerat Iacobi Facciolati, nunc vero extat in Bibliotheca Seminarii Patavini, paratio cl. Morellio, in uſus noſtros exſcripſit Iohannes Pizzatus Bibliothecae illi Praefectus, vir doctus idemque humaniſſimus.

(*a*) *Epiſt. aiobiiv. pag.* 58.

(*b*) Carmen hoc nuptiale nobis non licuit eſſe tam beatis, ut videremus. Eius meminit unus Chioccarellius (*d ill. Scripp. to.* I. *& unic. pag.* 71. Neap 1 80. 4°); aitque prodiiſſe Neapoli CIↃIↃXXVI. Sed quum notae chronologicae apud auctorem illum ludibrio, ut ita dicam, ſint habitae, ſive ſua, ſive typothetarum culpa; de anno editionis illius nil certi auſim aſſirmare; qui, ſi coniecturae dandus ſit locus, ad tempus, quo Neapoli morabatur THYLESIVS, eſſet referendus: ab iis vero, qui de Capycio verba fecere lux nulla nobis affulſit; nec de nomine uxoris huius bene conſtat: nam quae Chioccarellio eſt Iunia, a Philiberto Campanilio (*Inſegn. de' Nobil. pag.* 55. Nap. 1618. fol.) appellatur Iohanna; ni dicere velis, poetico more, a Iohanna factam eſſe Iuniam. Ammiratus (*Fam. Napol. to.* II. *pag.* 232. Fir. 1651. f.) innuit Scipionem matrimonio ſibi adiunxiſſe feminam ex familia Caracciola; feminae vero eiusdem nomen eum latuit.

(*c*) Conſulenda eſt Epiſtola Capycii ad Ioh. Franciſcum a Capua Palenenſium Comitem, quae praemittitur Gravinae Carminibus Neapoli editis apud Iohannem Sulzbachium CIↃIↃXXXII.

(*d*) In noſtra editione *Carm. lib.* II. *pag.* 123.

Columna Cardinale, qui rerum pro Rege potiebatur; a cuius benevolentia omnia fibi pollicebatur ANTONIVS nofter; cuique ut rem gratam faceret, nemus five viridarium eius, illud fortaffe ad plagam Olympicam, quod poftea ceffit in ufum Marchionis Villaefranchae *(a)*, defcribere et ornare verfibus eft aggreffus *(b)*: fed praepropera nec opina Cardinalis mors; obiit enim ineunte menfe fextili anno CIƆIƆXXXII. *(c)*; omnes THYLESII fpes praecidit. Poft mortem Cardinalis Columnae is in patrios lares fe recepit; Confentiamque petiit, ut ibidem loci, aetatis fi quid fupereffet, tranquille cum amicis ageret. At non ita multo poft, fequenti nempe anno CIƆIƆXXXIII. vel potius XXXIV. morte functus eft; nam Ioh. Francifcus Pandofius, et ipfe Confentinus *(d)*, qui probe cognitum perfpectumque eum habebat, in epiftola nuncupatoria ad Petrum Antonium Sanfeverinium Kalendis Iuniis eo ipfo anno CIƆIƆXXXIV. fcripta, quae praemiffa eft operi illius de *Coena Domini (e)*, quum complures conterraneos fuos non fine laude numeraret, fubdit *& ex oculis noftris nuper ablatum THYLESIVM*: falliturque dubio procul Spiriteus *(f)*, qui auctorem noftrum vitam produxiffe fuam ad annum ufque CIƆIƆXLII. fcribit. Vixit ANTONIVS THYLESIVS annos duos fupra quinquaginta, quod eft Paullo Iovio *(g)* *non plane fenem*, & Pandofio *(h)* *immatura morte* deceffiffe.

Se-

(a) PARRINIVS (*Teatro de' Vicerè to. 1. pag. 91.* in Nap. 1770. 4.°)

(b) Videnda eft *epift. pag.* 47.

(c) PARRINIVS (*ibid. pag. 95.*)

(d) SPIRITEVS (*l. c. pag. 60.*); In recenfione vero Pandofianorum operum, quam inftituit Spiriteus; filentio praeterit opus hoc Romae vulgatum an. CIƆIƆXXXIV. fol.

(f) *L. c. pag.* 40.

(g) *Ibid.*

(h) *L. c.*

Sepultus eſt, ut domeſtica produnt monumenta, in gentilitio conditorio ad Cathedralem Eccleſiam. Vitam tamen diuturniorem, nulliſque unquam temporis iniuriis obnoxiam vivent eius ſcripta elegantiſſima; pauca quidem, ſi ſpectentur numero; ſed quorum paucitatem apud aequos iudices candor, puritas, ceteraeque dicendi virtutes abunde compenſare poſſint. Quid enim omni ex parte perfectius eius *Tragoedia?* in ea ſic ipſa ſermonis elegantia, dicendique puritas, ſic paſſim ſervata gravitas, ſententiarumque ſplendor ubique elucent; ut cum antiquitate ipſa certare videatur. Quid porro eius *Carminibus* limatius, vel argumenti novitate amabilius? Quid eius libellis de *Coronis*, & de *Coloribus* aut copioſius, aut elegantius? Ceteras ANTONII THYLESII laudes vere immortales, conſulto praetermittam; eo quod illas innumera pene doctorum virorum teſtimonia (a) alias a nobis collecta, abunde praedicabunt.

ANTO-

(a) Iis teſtimoniis luculentiſſimum illud Paulli Iovii addere nunc licet, poſtea quam, cura & ſtudio equitis Hieronymi Tiraboſchii viri clariſſimi, mihique cum viveret amiciſſimi, in lucem ſit editus illius Dialogus *de Viris illuſtribus*, in quo legere eſt: ANTONIVS *quoque* TELESIVS *Coſentinus valde pacatus & diligens grammaticus, cuius peramoenus eſt liber de* Coronis; *lepide & ſuaviter verſus facit; adeo ut aliquando* Zonarium *illius* Reticulum, *& fabrefactam fictilem* Lucernam, *& noctu volantem* Cicindelam *malim, quam Modeſti noſtri* (Franciſci Modeſti Ariminenſis) *totam legere Venetiadem; quanquam in multo tractu luculentam & admirabilem: inepte enim fit ſi poemata verſuum numero, quam pondere potius eſtimentur. Quis enim artificem a labore multo, vel ipſo gravis operae ſudore, potius quam a docta atque babili digitorum argutia laudavit?* (*Stor. della Letter. Ital.* to. VII. part. IV. pag. 1673. noviſſimae edition. Mutinenſ.)

ANTONII THYLESII

OPERVM CATALOGVS

CVM NONNVLLIS OBSERVATIONIBVS LITTERARIIS

e

CATALOGVS OPERVM

CAPUT I.

Quae typis sunt edita complectens.

IMBER AVREVS. Tragoedia. *Venetiis* MDXXIX. opera Bernardini Vitalis cum privilegio. 4.°

Post Fabulae argumentum subiiciuntur haec:

Ex hac igitur re, Antonius Thylesius Consentinus *Tragoediam, quae* Imber Aureus *inscribitur, concinnavit; ubi metus sunt varii, querelae, fletus, minae, atque etiam pugnae caedesque; quae omnia passim illustrata sunt sententiarum ac verborum splendore, sic ut Tragoedia; quo genere poematis nihil gravius auditur; latine videatur loqui non indecenter. Puto non iniucundum erit ingeniosis & eruditis hominibus rem cognoscere a* Thylesio *per ocium diligenter compositam.*

Norimbergae MDXXX. apud Fridericum Peypus. 8.° Cum Praefatione Laelii Aleandri; quam in nostra editione recudendam curavimus.

Extat in Bibliotheca PP. Oratorii Neapolitani.

Basileae MDXLV. apud Iohannem Oporinum. 8.° Cum ceteris Thylesii Opusculis.

Antwerpiae MDXLVI. in aedibus Iohannis Steelsii 8.° Cum aliis Opusculis.

POEMATA. *Rom.* MDXXXIII. in aedibus F. Minitii Calvi mense maio. 4.°

Exemplar membranaceum, & quidem elegantissimum, erat apud nos; quod dono dedimus Carolo Firmiano Comiti, non genere magis ac dignitate, quam litterarum laude praestanti; qui me, dum fuit in vivis, benevolentia complectebatur singulari.

ARENEOLA & CICINDELA. *Venetiis* MDXXVIII. opera Bernardini Vitalis, 4.° Cum libello *de Coloribus*.

Parisiis MDXXIX. Apud Simonem Colin. 8.° Cum Hier. Vidae *Lud. Scacchor.*

Hanoviae MDCIX. In *Amphith. Sapientiae*. &c Gasparis Dornavii pag. 112. 173.

CYCLOPS & GALATEA. *Tiguri* MDXXXI. ex aedibus Christophori Froschoveri. 8.° Cum hac Praefatione:

Tigurinae Iuventuti S. Quum novam Antonii Thylesii *viri doctissimi Tragoediam, quae* Imber Aureus *inscribitur tam avide amplexi sitis; ut eam etiam magnifice feliciterque frequentissimo in theatro arte scenica egeritis, ubi Graecas & Latinas subinde fabulas non sine laude luditis; arbitror equidem me vobis rem gratam omnibusque Poeticae studiosis facturum, si eiusdem* Thylesii *Poemata* Cyclops & Galatea *typis excuderem. Sed & alia* Thylesii *nostri Poemata, quae apud nos adhuc latent expectate, & valete. Tiguri* XII. *die Martii anno* MDXXXI.

Visitur libellus pulcherrimus in eadem Bibliotheca PP. Oratorii Neapolitani.

ORPHEVS. Sub nomine Cassii Parmensis in calce *Commentarior.* Achillis Statii ad *ill. Grammat.* Suetonii *Parisiis* MDLXV. 8.°

Mox in *Catalect.* Scaligeri (*a*); & inter *Epigramm. vetera* Pitoeana (*b*); in *Commentar.* Lambini ad *Horat.* (*c*); in *Adnotat.* Fabricii ad *Senec. Hercul. Oeteum* (*d*); & cum graeca interpretatione Matthiae Bergii in *Commentar.* Rittershusii *ad Phaedr.* (*e*); tandem a Nathane Chytreo cum suo *Commentar.* seorsim editus *Francof.* MDLXXXV. 8.°

Editionis huius, quam valde raram appellat Freytagius (*f*), exemplar extabat in Bibliotheca Cardinalis Imperialis; ex eaque, quum superioribus annis venum iret, in nostram est inlatum.

Fraus subolevit viris doctis (*g*), a quibus Versiculi illi poetae longe recentiori sunt adscripti:

(a) *Lib. I. pag.* 225. editionis Lugdunens.

(b) *Lib. IV. pag.* 185.

(c) *Satyrar. lib. I. satyr.* 10.

(d) *Vers.* 1074., ubi illud carmen non ita pridem Florentiae inventum esse testatur.

(e) *Lib. III. Prolog.*

(f) *Apparat. Litterar.* (to. III. num. CXXCV. pag. 669.)

(g) Videndi sunt Burmannus in *Antholog. Latina* (*ad Epigramm.* CXXXV. to I. pag. 97.); auctoresque ibidem laudati; quibus addi possunt Vossius (*de Poet. Lat.* cap. II. pag. 24.), Placcius (*Theatr. Pseudonym.* pag. 167.), Masseius (*Veron. illustr.* par. II. lib. I. pag. 17.), Arvoodius (*Bibliot.* par. II. pag. 331. nuperae edition. Venet.); Scaliger vero ipse in epistola CCCCIX. ad Ianum Gruterum scribens, non

pti: Thylesio vero adserti & vindicati a nobis fuerunt; accusatusque falsi est Sertorius Quadrimanus, qui Achilli Statio egregie imposuerat. Id fuse narratur ab Irenaeo Affò, dum vita manebat, amico cum paucis mihi caro (*a*); cui nuperrime adstipulatus est Mercerius S. Legerii Abbas (*b*).

ARVNDO & LVCERNA. *Hanoviae* in *Amphitheatr.* Dornavii pag. 236. 664.

EPITHALAMIVM *in Nuptias Scipionis Capycii & Iuniae Caracciolae*. *Neapoli* apud Evangelistam Papiensem MDXXVI. 4.

Nusquam videre contigit poema hoc, cuius mentionem fecerat unus Bartholomaeus Chioccarellius (*c*).

DE CORONIS. *Romae* MDXXV. mense Februario apud F. Minitium Calvum. 4.°

Perrara est editio haec Freytagio (*d*).

Coloniae. MDXXX. 8.°

Basileae. MDXLV. 8.° Cum ceteris Thylesii opusculis.

DE COLORIBUS. *Venetiis* MDXXVIII. opera Bernardini Vitalis. 4.° Cum *Araneola* & *Cicindela*.

Huius editionis exemplum, quod olim fuit Antonii Seripandi, ut eius manus in novissima pagina testatur, vidimus in instructissima optimis libris bibliotheca Francisci Tachoni Marchionis, viri humanissimi, mihique amicissimi quam qui maxime.

Parisiis. MDXXIX. apud Christoph. Wechelium. 8.° Cum Pau-

non erubuit fateri, sibi aliquando obtrusa fuisse falsa pro veris, inter quae poemation hoc de Orpheo: *Neque nos*, ille ait, *tam levis ingenii sumus; ut illis fidem accommodemus, quos scimus nunc non primum incipere ludere de credulitate nostra; si modo ullam hactenus in nobis experti sunt. Id in Elegia ineptissima nomine Cornelii Galli fecerunt . . . Idem de Carmine in* Orpheum *Cassii Parmensis; idem de Apuleii fragmento. &c.*

(a) *Scrittori Parmegiani* (to. I. pag. 14.)

(b) *Raconte le fait* (Affò) *d'après le Chevalier François Daniele Historiographe du Roi de Naples, qui a publié en 1762. à Naples la derniere édition des Oeures de* Thelesio, *avec une Vie de l'Auteur, où li discute ce point curieux de histoire litteraire.* (*Magasin Encyclop.* to. VIII. pag. 351.)

(c) *de ill. Scripp.* (pag. 71.)

(d) L. c. (to. II. num. CIV. pag. 1040.)

Pauli Aeginetae opuſculo *de Criſi*.

Baſileae. MDXLV. 8.° Cum ceteris Thyleſii opuſculis.

Pariſiis. MDXLVI. apud Wechelium. 8.°

Ibidem. MDXLVIII. apud Gazel. 8.° Cum Ariſtotelis vel Theophraſti de *Coloribus*, & Actuarii de *Vrinis*.

Baſileae. MDXXXVII. apud Hieron. Frobenium. 4.° Cum Lazari Bayphii de *Re Navali*; cumque hac Praefatione: *Cum permulta, Lector, a Bayphio in libello* de Re Navali & Veſtiaria *potuiſſent dici, quae ad Colorum varietatem cognoſcendam viderentur apprime eſſe neceſſaria; ne tamen id a ſua diligentia requireres, quod ab alio tractatum iam fuerat, & elegantiſſime explicatum; maluit vir prudens, tuaeque utilitatis amantiſſimus Authorem ipſum, a quo haec copioſe deſumas his libellis ſubnectere, quam ipſemet deſumſiſſe, & ſuis ſcriptis inſeruiſſe; ne videretur bonum Authorem propria dignitate ac laude ſpoliare velle. Qui animus utinam permultis idem eſſet; a quibus quotidie novi neſcio quid prodit. Scirent certe omnes quarum rerum quiſque verus eſſet inventor; quis honor, quaeque gloria iis eſſet tribuenda, qui ſuis ſcriptis ſtudioſorum laborem magnopere ſublevarent. Vale*.

Ibidem. MDXLI. apud Nicolaum Epiſcopium. 4.°

Lutetiae MDXLIX. apud Robertum Stephanum. 4.°

Cum Excerptis ex *Platonis Timaeo*, & *Noctibus Atticis*. 8. ſine loci, anni, & typographi notatione: ex Catalogo Biblioth. Tottianae Panzerus in *Annalib. Typogr.* (a).

Cum *Timaeo* Platonis *de Coloribus* Marſil. Ficino interpr. Cap. uno *Noct. Atticar.* Auli Gellii, & Lazari Bayphii in illud notat. cumque aliis quibusdam eiuſdem argumenti. 8.° abſque anni nota, nec loci, aut typographi; ſed, ut coniectura aſſequi poteſt, *Coloniae* ex officina Iohannis Gymnici: ex Catalogo Biblioth. Thoſchianae Panzerus (b).

Tomo IX. *Theſauri Gronoviani*.

Baſileae MDXLV. apud Iohannem Oporinum. 8.° Cum prolixo hoc titulo: *Antonii Thyleſii*

(a) Vol. IX. (num. 350. pag. 194.)

(b) L. c. (num. 859. pag. 440.)

lesii Consentini natione Itali Opuscula aliquot, partim iam olim diversis in locis, partim nunc primum edita; tum styli Romana puritate, & lepore argumentorum magno studiosorum applausu excipienda. Quum vero haec sit prae ceteris locupletior Opusculorum nostri auctoris sylloge, quae, saeculo XVI. vergente, prodierit in lucem; eam diligentius excutere, accuratiusque describere operae pretium duximus; eo magis, quod inter rarissimos libellus hic a bibliographis sit adnumeratus. Is complectitur *Tragoediam*, poemata septem, quae inscribuntur *Cyclops*, *Galatea*, *Lucerna*, *Arundo*, *Aeneas*, *Araneola*, & *Cicindela*; Commentariola insuper de *Coronis (a)*, & de *Coloribus*. Editionem curavit Conradus Gesnerus; eamque dicavit Leonharto Boekk Caesareo Consiliario: in epistola vero nuncupatoria, de Thylesio, deque Opusculis illis scripsit quae ad imam pagellam reiecimus *(b)*. De ea re, de-

(a) Commentario huic praefiguntur sequentes versiculi ad Ludovicum a Flandria Caesareum Consiliarium:

Multum saepe diuque cogitavi,
Vir perdocte patrone singularis,
Quanam te ratione demererer;
Cum inter tot mihi cogitationes
In mentem venit optimi libelli,
Quem Thylesius *ille cultus, atque*
Multa praeditus eruditione
Recte, Iuppiter!, & laboriose
Concinnavit, ut assolet frequenter.
Hunc ergo tibi dedico, quod ipsa
Frons inscriptioque apta de Coronis
Isthoc tempore sic videtur esse;
Regni insignibus, atque dignitate
Cum fratrem bonus auget Imperator
Romani, ut fieri solet. Valete.
IOH. LUDOVICUS BRASSICANUS.

Scripti hi sunt versus anno procul dubio CIↃIↃXXXI.; quo historicis monumentis consignatur coronatio in Regem Romanorum Ferdinandi I. (*Struv. Hist. Germ.* pag. 1048.), ad quam respicere videntur: iique fortasse in hanc translati sunt ab editione Coloniensi, quae non est ad manus, eo ipso anno evulgata. Brassicanus vero hic patria fuit Wurtembergensis, professione philologus, & poeta. Eius carmina invenies in *Delic. Poetar. Germ.* (*to. I. pag.* 795.). De eo plura apud Konigium (*Biblioth. pag.* 131.), & apud Saxium (*Onomast.* to. III. *pag.* 81.)

(b) Antonii Thylesii *Opera se mihi obtulerunt, quae ante hoc tempus vaga sparsaque collegi, & quaedam non publicata prius adiunxi. Haec ex inscriptione mea tibi habeas . . . partim quoniam libelli per se sunt eximii, nec indigni amplitudine tua, partim quod virtutis tuae splendore etiam ipsi procul dubio fient illustriores. Ceterum hic* Thylesius, *cuius laudes si amplius nosse cupis, lege epistolam Laelii Aleandri, quam* Imbri Aureo *statim subiiciemus; qui Mediolani quondam praeceptor fuit praecepto-*

deque eius in Thylesium pietate mentionem postmodum fecit Gesnerus ipse in epistola ad Gulielmum Turnerum *(a)* ; in eaque, praeter alia, haec habet: ***Ab eo quidem tempore (1545) etiam alia quaedam huius auctoris*** (Thylesii) ***poematia in Italia typis impressa nactus sum; quae cum praecedentibus coniuncta denuo excudi optarim; ut tam elegantis scriptoris quae extant omnia uno volumine haberentur*.** Denique etsi Basileensis haec Thylesii Opusculorum plenior sit accuratiorque collectio; errat tamen Anonymus apud Mercerium (*b*); ab eoque merito reprehensus, qui praeter hanc unam, nullam aliam scriptiuncularum illarum collectionem extitisse affirmaverat.

ORATIO in funere Ioh. Iacobi Trivultii. *Mediolani* MDXIX. mense Februarii per Augustinum de Vicomercato. 4.°

EPISTOLA ad Alexandrum Cacciam Florentinum ob Clementis VII. Pontificatum Maximum. *Romae* MDXXIII. 4.° sine typographi nomine.

IN ODAS Horatii Flacci AVSPICIA ad Iuventutem Romanam: sine temporis, & typographi notatione; sed uti videtur *Romae* apud F. Minitium Calvum. 4.°

Venetiis MDLIII. apud Petrum de Nicolinis de Sabio. Cum Horatii Operibus Variorum notis illustratis. fol. Ex Catalogo Biblioth. Bunavianae *(c)*.

Ibidem. MDLIX. apud Ioh. Mariam Bonellum. Cum Horatii Operibus. &c. fol.

EPI-

ceptorum meorum Ioh. Iacobi Ammiani Scholarchae, Latinaeque Eloquentiae professoris in Academia nostra, & Rodulphi Collini Graecae Linguae doctoris apud nos clarissimi; qui etiam Idyllia quaedam Thylesii *conservata partim ante annos aliquot typographo nostro excudenda dedit, partim nunc primum communicavit. Idyllion de* Prometheo, *quod auctori non satis placuisset, addere noluimus; & alterum* Thetis *inscriptum non integrum ad manus erat; sicut nec poemation de* Fragis . . .

(a) Quae est *de libris a se editis*, scripta v. Kal. Sept. MDLXII. Extat in calce *Vitae Gesneri* a Iosia Simlero conscripta, *Tigurique* edita MDLXVI. 4.° (*num.* 24. *pag.* 23.)

(b) L. c. (*pag.* 351.)

(c) L. c. (to. I. *pag.* 309.)

EPISTOLAE IV. *Venetiis* apud Paulum Manutium cum *Epistol.* Cl. Virorum. 8.°
Ibidem. MDLXVIII. Ex typographia Dominici Guerrei. 8.°
Coloniae Agripp. MDLXXXVI. apud Iohannem Gymicum. 8.°

ANTONII THYLESII CONSENTINI OPERA. *Neapoli* excudebant Fratres Simonii. 8.° m. Ea est editio, & quidem omnium locupletissima, quam nos curavimus; quamque diligenter expendit Iohannes Lamius (*a*).

C A P U T II.

Quae nondum sunt edita complectens.

EPITAPHIA HEROICA. Thylesius ipse *de Coronis (b): Ad hoc ipse respexi cum de Achille loquerer in* Heroicis Epitaphiis*: quae plurima singulis iampridem lusi carminibus*.

THETIS, CHARITES vel FRAGA, et PROMETHEVS. Gesnerus (*c*) : *Habet praeterea D. Rhodulphus Collinus noster Idyllia, sive poemata sex eiusdem auctoris* (Thylesii), *videlicet* Aeneam, Lucernam, Thetyn, Charites *vel* Fraga, Arundinem, & Prometheum. Ex his *Aeneas*, *Lucerna*, & *Arundo* supersunt.

DE ORTV ARCHINTORVM. Simlerus & Frisius (*d*): *Scripsit etiam* (Thylesius) *Carmina de* Ortu Archintorum.

PHAENIX. Quadrimanus (*e*): *La Fenice del Telesio è una delle più belle Composizioni*. Ad haec Matthaeus Aegyptius: *La Fenice di Antonio Telesio noi non l'abbiamo fra le altre sue opere stampate*. Eam vero italice vertit Franciscus Baro : Quadrimanus (*f*) : *Anzi mi*

f scri-

(a) *Continuaz. delle Novelle Letterar.* 30. Sett. 1763. (num. XXXIX. col. 620. in Firenze. 4.°)
(b) Pag. 167. nostrae edition.
(c) *Biblioth.* pag. 63. a t.
(d) *Epitom. Biblioth. Gesneri* pag. 68.
(e) *Lettere* (lib. I. lett. 13. pag. 20.)
(f) *Ibid.* (lib. I. lett. 11. pag. 17.)

scrive che fra due o tre poste m'inviera (Francesco Barone) *la traduzione della Fenice.*

RHODOS. Quadrimanus *(a)*: *Antonio Telesio in un suo poema intitolato* Rhodos ....

THEOCRITI SYRINGIS. Latina Interpretatio. Lilius Gregorius Gyraldus *(b)*: *Extat apud Theocritum Panos Fistula miro carminum artificio confecta, & aenigmati pene par. Exposita est ab Iohanne Pediasimo Cartophilace*; *quam etiam in latinum convertit non infeliciter amicus meus* Antonius Thylesius. Fortunius Licetus *(c)*: *Versionem etenim* Antonii Thylesii, *quam non infelicem laudat Gyraldus, videre mihi non licuit.*

POMPEIANVM. Id est Pompeii Columnae Nemus carmine celebratum *(d)*.

GRAMMATICA. Ziliolius *(e)*: Antonio Tilesio *fece un Trattato di Gramatica con bellissimo ordine.*

EPISTOLARVM LIB. II. Quadrimanus *(f)*: Antonio Telesio . . . *scrisse due libri di Epistole, che non sono ancora date fuora.*

ANNOTATIONES in Horatium, Virgilium, Iuvenalem, M. Tullii Philippicas, & Suetonii Vitas. Idem Quadrimanus *(g)*: *Ma alcune brevi Sposizioni, ch' egli fa sopra Orazio, Vergilio, Giovenale, e sopra le Filippiche di M. Tullio, e le XII. Vite di Suetonio.*

CLA-

(a) *Istoria di Cosenza* MS. apud nos.
(b) *Histor. de Diis* Syntagm. xv. ubi de Pane to. I. operum nobilissimae editionis Lugduno-Batavae 1696. fol. pag. 452. Idem Gyraldus nostri Auctoris mentionem fecit *Dialog.* 1. de *Poet. suor. tempor.* to. II. pag. 543.
(c) *Ad Syring. Theocrit.* cap. II. pag. 7.
(d) Adi pag. 47. huius volum.
(e) *Istoria de' Poeti Ital.* MS. in Biblioth. Angelica Romae.
(f) *Degli Uom. ill. Cosentini* MS. in nostra bibliotheca.
(g) L. c.

CLARORVM VIRORVM
EPISTOLAE
DE NEAPOLITANA
ANTONII THYLESII
EDITIONE

CAROLI LE BEAU

REG. INSCRIPTION· POLITIORVMQ· LITTERARVM PARISIENSI ACADEMIAE A SECRETIS

FRANCISCO DANIELI

CAROLVS LE BEAU

S · P · D

MVnufculum Tuum, pretio quam mole maius; gratiffimo animi fenfu, accepit noftra Litterarum Academia, Vir eruditiffime; ac plurimum Tibi debere fe profitetur, quod elegantem illum, Italicae fegetis quafi manipulum, ad ipfam miferis. Neque enim, ut fere nunc apud ceteras Europae gentes, peregrinae apud nos habentur Mufae Latiares; quas colimus, quas, ut & Graecas, omni ftudio amplectimur; ac de nobis optime mereri eum arbitramur qui litteras illas prope iam fenefcentes, a fitu & incultu vindicat; redditque fuam ipfis, quae perpetua effe debuerat, iuventutem. Id quidem Tu feliciffime facis, Daniel elegantiffime; qui Thylefium quantivis pretii poëtam, typis honeftiffime excufum, pene ab Inferis excitafti. Agit igitur gratias Tibi maximas Academia; Tibique fauftos ac profperos dies, & indefeffum in eiufmodi ftudiis animum apprecatur.

Meo vero nomine grates etiam habeo ampliffimas, quod me tam egregio munere ornatum vo-

volueris; mihique suavissimam paraveris delectationem, quam ex scriptis Tuis, & ex Tui poëtae Carminibus percepi. Nam & Thylesii Vita sic a Te exarata est, tam puro, tam nitido sermone; ut eam summa cum voluptate iterum ac saepius perlegerim; & Thylesii varia Opuscula sic imbuta sunt melle ac succo Musarum; ut nihil tersius, nihil venustius fieri possit. Miror hunc tam familiarem Latiaribus Camoenis cum Sannazaro vestro, qui ipsius aequalis fuit, nulla consuetudine coniunctum fuisse; cum & sub eodem coelo, & iisdem in studiis viverent: neque enim in Thylesii Vita ullam Sannazari mentionem fecisti. Me vero, Vir optime & eruditissime, Tibi addictissimum scias; neque quidquam a me Tibi unquam aut studii, aut obsequii defuturum.

Datum Lutetiae Parisiorum die 28. *Maii anno Domini* 1763.

P. S. Serius quidem ad Te rescribo; sed citius ex ultima India elephas ad me pervenisset, quam libellus Tuus perlatus est. Cum enim eum Tu primo huius anni die felicibus sane auspiciis a Te dimiseris; nescio quo casu factum est, ut mense demum Maio perveniret. Mihi quidem missus est a D. de la Louze Regis Galliarum apud Summum Pontificem Internuncio, qui me pro sua humanitate urbanissima epistola honestavit data die 9. Martii. Vale.

Mihi adeo in mora fuit Academiae nostrae consuetudo, quae non prius gratias agere solet; quam opus ad se missum perlegendum curaverit; & cuius pretii sit cognoverit.

IACO-

IACOBI FACCIOLATI

IN PATAVINA ACADEMIA PROFESSORIS EMERITI

IACOBVS FACCIOLATVS FRANCISCO DANIELI S. P. D

THylesii Opera a Te collecta & ornata his ipsis diebus accepi, Tuamque elegantissimam epistolam anno praeterito exeunte ad me missam. Proinde noli mirari, si tardius aequo grates ago. Scriptorem hunc tum soluta, tum ligata oratione praestantem iamdiu magni facio; sed multo pluris benevolentiam erga me Tuam; quam omni officiorum genere mereri tota vita studebo. vide quam parum Tibi pollicear octuaginta annorum homo! Si quid tamen, dum in vivis sum, tua caussa potero; libenter faciam ne beneficia Tua male Patavii collocata iudices. Satis ex hoc primo specimine, ingenii Tui vires novi; & quos progressus in re litteraria facturus sis, iam nunc perspicio; patriaeque Tuae gratulor. Strenuum profecto habes Tuae laudis socium Vincentium Arianum; ne quid Tibi ad virtutis aemulationem desit. Vale, Arianumque ipsum meo nomine salvere iube.

Patavio V. Kal. Sextil. MDCCLXIII.

PAVL-

PAVLLI MOCCIAE

IN REGIO NEAPOLIT. EPHEBEO
HVMANIORVM LITTERARVM PROFESSORIS

FRANCISCO DANIELI
IVVENI PERILLVSTRI
PAVLLVS MOCCIA

Χαίρειν κ̀ εὐπράττειν

EN tandem divino prorſus conſilio factum eſt, ut, quae invidum ſane, rerumque omnium edax tempus tamdiu hominum genus celaverat, denſisque tenebris circumſepta, tantum non abſumſerat, hoc fortunatiſſimo ſaeculo ab interitu vindicata, publicam in lucem prodirent. Ad CC. annos & amplius, clariſſimi Antonii Teleſii quantivis pretii Opera delituerant, ſituqne pene corrupta marcuerant; &, quod caput eſt, nulla affulgebat ſpecula fore, ut e tenebris emergerent, ſqualoreque deterſo, hominum conſpectum lucemque intuerentur. Quod deſperatum profecto, atque conclamatum opus videbatur; illud, Te uno, quali quantoque iuvene! accurate & expeditum eſt celerrime, atque ad exitum perductum quam feliciſſime. Ipſe enim nulli peperciſti labori, nullas non exhauſiſti difficul-

cultates ; nihilque tandem intentatum reliquiſti , quo omnia penitus laudati auctoris Opera undique diligenter conquiſita corraderes, inque unum coacta volumen promulgares. Quantum vero operae pretium feceris , quamque fructuoſe operam collocaveris tuam , is haud dubie intelliget , qui vel defunctorie tanti viri tamque praeclare de litteraria republica meriti divinas elucubrationes percurrerit. Tot quidem tantisque abundant ingenitis bonis, iisque in oculos nulli non incurrentibus ; ut quid prius mirere , quidve poſterius , ambigas oporteat . Tanta enim ſe prodit elegantia , puritas , nitor , tentaeque enitent veneres , ubi proſa utitur oratione; ut nihil cultius, nihilque ornatius optari poſſe videatur . Quod ſi ad ea , quae metro adſtricta ſcripſit , oculos animumque converteris ; mirum profecto erit ſi tibi conſtiteris . Iam ad ea te derepente tempora , neſcio quanam occulta vi impetuque pertractum , ac ſenſim ſine ſenſu translatum intelliges , quae Andinum vatem , Venuſinumque alumnum tulerunt. Abſit vero , ut iſthaec inter paradoxa amandentur : ſiquidem Antonii Teleſii elegantiſſima iuxta atque puriſſima Poëmatia ita Achillis Statii , ac poſtea Ioſephi Scaligeri , proh quam emunctae naris viros , quamque ſagaces ! , oculos praeſtrinxerunt ; ut illa tanquam diu , ſeu temporum iniuria, ſive hominum inertia atque incuria tenebris conſepulta , demumque eruta , atque vitalis lucis uſura iterum donata , iure poſtliminii Caſſio Parmenſi vindicaverint. Neque σφάλμα τοῦτο ἀναχρονιστικόν detectum patuiſſet , ni ipſemet Serto-

rius Quadrimanus, qui Achilli Statio impoſuerat, ſive dedita opera, ſive imprudens in quadam epiſtola ad Franciſcum Baronem, qui tum in philologicis facile primas ferebat, quae inferne poſuimus (*a*), ſcripſiſſet. At enim cui hoc acceptum referendum eſt? Incomparabili profecto tuae induſtriae atque *ἀκαμάτῳ ἀρχαιολογίας* ſtudio, quod paene una cum ipſo lacte hauſiſſe videris. Iam vero, ut omnia omnibus numeris abſolveres, operique feliciter incoepto, atque ad umbilicum laudabiliter perducto coronidem imponeres, quae ceteri ſparſim pro re nata atque aliud agendo, de Antonio Teleſio litteris conſignata reliquerunt, ea Tu, tanquam Abſyrti disiecta membra naviter colligens, ita affabre compegiſti, ut uno prorſus tenore continentique ſerie, atque ab uno eodemque auctore profecta & exarata eſſe videantur. Proh quale, & quam verſatile ingenium! Ecquid enim, amabo, eſt tam retruſum, quod non luce meridiana clarius reddis? quid tam a vulgari cognitione remotum, quod non ita facile aſſequeris, tanquam ſi de trivio, nulloque labore peteretur? Poſtremo, ne longus ſim, omnibus his unum tantummodo addam, quod nemo ni fallor negaverit, nimirum Te ita purum putumque aureorum Scriptorum dicendi genus probe callere; ut nativo puritatis candore atque elegan-

(a) (*Lettere* lib. I. lett. 33.) Avrà V. S. con queſta un altro Poema dell'iſteſſo Teleſio intitolato da lui *Orpheus*, il quale è così dotto, e così maraviglioſo, ch'egli medeſimo vi ſcriſſe ſopra: *hoc imprimatur omnino*. Veggialo con diligenza, che il giudicherà tale, quale è ſtato giudicato dagli altri.

gantia quaecunque publici iuris fecisti, se commendare videantur. Haec me, neque assentandi cupiditate, neque veritatis infuscandae gratia scripsisse; sed tantum ut quae sentiebam ingenue aperirem; neminem omnino fore confido, qui inficias sit iturus. Iampridem animis omnium, quibus cor sapit ac palatum, ista insedit opinio, Te supra tenerae aetatis vires, ea istud aetatulae edidisse ingenii experimenta, quae nonnisi a consummatae litteraturae viro, eoque subacti ingenii expectari posse videbantur. Qua de re Te etiam atque etiam oro obtestorque, ut haec qualia ea cunque sunt, aequi bonique consulas; Tibique persuadeas me Tibi Tuaeque famae tantum esse addictum, quam qui maxime: quod si feceris, uti non despero Te facturum, me Tibi beneficii memoria devincies sempiterna. Marchionem Salvatorem Spiriteum, virum omnigena, qua ad miraculum usque excolitur eruditione, huiusce saeculi lumen ac ornamentum, cuius quotidiana consuetudine tantum debes, ut, quidquid es, Te illius ope assecutum non iniuria prae te feras, a me si plurimum salvere iusseris per mihi gratum facies. Vale.

Ex Aedibus Regii Ephebei Kal. Martiis MDCCLXII.

IOHANNIS BOTTARI

BIBLIOTHECAE VATICANAE CVSTODIS

Illmo Sigre Sigre Pne se Colmo

RIcevo una ſtimatiſſima di V. S. Illma de' 19. del paſſato per mezzo del Signor Pagliarini ; ed anch' io mi ſtupiſco come non mi ſieno giunte le altre ſue lettere. Alle volte ne ha la colpa la negligenza de' ſervidori, o qualche impenſato ritardo delle Poſte . Adeſſo la ringrazio quanto più poſſo del dono , che ſi è compiaciuta farmi dell' Opere del Teleſio ; sì per l' eccellenza loro , e sì per la eleganza , pulizia, e correzione della ſtampa , che meglio non ſi potea fare in Francia, o in Olanda. Ho letto queſto libro con ſommo piacere , e mi ſi è creſciuta la ſtima, che avea di queſto Autore, di cui avea vedute poche coſe. La *Pioggia d' Oro* pare una compoſizione Greca tradotta in purgatiſſimo latino. Quel che vi è di V. S. Illma, è tutto eccellente : erudizione , purità di ſtile , ſobrietà , giudizio, e buon ſenſo a maraviglia . Me ne rallegro ſeco ; e ne le profeſſo mille obbligazioni. E con tutto l' oſſequio reſto

Roma 1. *Aprile* 1763.

HIE-

HIERONYMI LAGOMARSINI

E SOCIETATE IESV

Illmo Sigre Sigre Pne ſe Colmo

MI giungono finalmente alle mani le Opere del Tileſio enunciatemi da V. S. Illma per la umaniſſima ſua de' 12. dello ſcorſo dicembre: e già a queſt'ora con indicibile mio piacere ne ho divorata gran parte con animo di riguſtarle poi a bell'agio. E per verità ſono tali queſti componimenti, che, e per l'ultima giuſtezza delle ſentenze, e per la ſomma purità dello ſtile ben ſi meritavano di eſſer letti e riletti. Scrittore così qualificato ben era degno di eſſer meſſo in viſta degli ſtudioſi; e perchè ciò con maggior ſua gloria ſeguiſſe, ha diſpoſto la Provvidenza, che a V. S. Illma ſia toccato di riprodurlo; facendolo vieppiù ſpiccare e colla magnificenza e nitidezza dell'edizione, e molto più colle ſquiſitiſſime notizie della ſua Vita. Tutti i letterati debbono far plauſo a queſta nobile impreſa di V. S. Illma: e noi ſtudioſi delle lettere le ne dobbiamo avere eterne obbligazioni; io in particolare favorito con sì diſtinta degnazione da V. S. Illma: alla quale rendendo le più vive grazie, che per me ſi poſſono; ed offerendo la debole ſervitù mia, con tutto lo ſpirito mi dico

Roma 18. *Gennajo* 1763.

FRAN-

FRANCISCI ALGAROTTI

COMITIS

Illmo Sigre Sigre Pne ſe Colmo

DEbbo all' ottimo Marcheſe Giovanni Adimari il dono graditiſſimo, che gli è piaciuto farmi delle Opere di Antonio Teleſio Coſentino da V. S. Illma pubblicate per coteſte ſtampe di Napoli . Io non conoſcea queſt'Autore, che di nome; o per meglio dire conoſcea queſto nome pel ſolo Bernardino, filoſofo celebratiſſimo dell' età ſua : ma ho voluto ſcorrer ſubito il libro, invitato anche dalla bellezza dell'edizione; e confeſſo di eſſermi riuſcita piacevole inſieme ed utile una tal lezione: eleganza di lingua latina, bellezze poetiche, erudizione, eloquenza dappertutto ; e conoſco eſſerſi fatto un ſervizio agli amatori della culta letteratura, anzi all' Italia, con la pubblicazione di un autore quaſi interamente obbliato. La Vita poi di lui da V. S. Illma ſcritta, e per la copia delle notizie, attinte da ſicure fonti, e per la purità della lingua è ben degna di andar avanti ad uno Scrittore di sì diſtinto merito. Io intanto, non contento di aver fatti i miei ringraziamenti al Signor Marcheſe del libro, ho voluto anche portar a Lei a dirittura le mie congratulazioni per l'onore, che ſi va acquiſtan-

ſtando in così giovine età: e ben poſſo promettere a quei che verranno, di aver a godere di più utili e nobili produzioni del ſuo feliciſſimo ingegno; dico a quei che verranno; poichè la mia perduta ſalute, ed i mali che ogni giorno diventano maggiori, non mi laſciano niuna luſinga di potermi godere un tanto bene. E quì reſto con tutto lo ſpirito per ſempre

Piſa 26. *Luglio* 1763.

IOAN-

IOHANNIS MARIAE MAZZVCHELII

COMITIS

Illm̃o Sig. Sig. P̃ne Colm̃o

CErtamente io, rispondendo al Signor Marchese Sarno, lo pregai di congratularsi con essolei dell' edizione del Telesio; la cui Vita io vedea, che avrebbe potuto molto giovare alla mia Storia degli *Scrittori d' Italia*. Ora, mercè della lettera, e dell' esemplare dell' opera, di cui Ella mi onora, ho l'occasione di confermarle quest'ufizio di sincera congratulazione; non essendoci maggior merito nella Rep. delle lettere di quello di dar fuori le opere migliori de' nostri Scrittori; molto più quando si faccia con tanta squisita critica, erudizione, ed eleganza, con quanta ha V. S. Illustriss. illustrato il suo Autore. Io pertanto la ringrazio vivamente, e conserverò questo libro, sì per ammirare il suo valore, come per avere un perpetuo contrassegno della sua generosità. Frà un mese uscirà il VI. Tomo della mia opera, col quale si compie la lettera B, ch' Ella potrà vedere presso cotesto Eccellentiss. Sig. Marchese Tanucci, a cui ho ordinato che sia subito spedito. Ora lavoro intorno al C; ch'è lettera contenente ottomila Scrittori circa; e ci vorrà qualche anno a terminarla. Finisco con offerirmi tutto a' suoi comandi; e mi soscrivo

Brescia 1. *Gennaio* 1763.

AN-

ANTONII THYLESII
CONSENTINI
CARMINA



ANTONII THYLESII

CONSENTINI

CARMINA

Inter CORYCIANA Romae edita 1524. 4°
duern. V. a t.

I

Viribus aggressa est Superos Titania pubes
Deiicere, & positis montibus astra sequi;
Victa tamen cecidit. Superos deducere Caelo
Sansovius (*), *sed non viribus, arte valet.*

(*) Franciscus Tatta, cognomento Sansovinus, mira caelandi arte aetate illa cum primis comparandus; cuius vitam habes inter

IBIDEM

II

NVmina quis Coelo deduxit? cui datur imis
In terris Superos ſiſtere poſſe Deos?
Sanſovius Coelum qui poſſidet ille, Deorum
Cum libet in terris numina conſtituit.

IBIDEM

III

VIva Deum ſpirat facies, in marmore vultus
Aſpice, non caput haec, non movet illa manus?
Et movet, & loquitur; ſed verba audire Deorum
Non datur humanis auribus, at ſuperis.

IN

ter illas a Vaſario deſcriptas (*to. IX. pag.* 291. *ſeq.*) Senenſis editionis, quam curavit Gulielmus a Valle amicus noſter. Signa vero his verſibus celebrata, nempe IESV CHRISTI, MARIAE VIRGINIS, & DIVAE ANNAE, ad hanc diem viſuntur in aede S.Auguſtini Romae,

IN CVPIDINEM ERRANTEM

In calce Carminum SANNAZARII ab Aldo editor. 1533. 8.° pag. 98. a t.

DEpositis errat facibus levis urbe Cupido,
Carpit & insuetas nocte silente vias.

Vos o vos vestris arcete penatibus ignem,
Attigit admissus quod puer ignis id est.

Sensi ego quam calet hic: ludens per colla, sinusque,
Admoto cum me falleret ore Deus.

Quem sequor hac (*) eadem face, quam mihi pectore liquit
Effugiens, natam mater ut orba Ceres.

AD VENEREM

Ex Cod. MSto fol. Biblioth. Ambrosianae sign. litt. H. num. 191. misit BALTHASSAR OLTROCHIVS Biblioth. eidem Praefectus, dum vixit amicus meus summus.

NOs, ut amore pares, sic & candore columbas
En tibi sancta Venus sedula Phyllis alit.

Tu face, ut ille diu vinctum cum Phyllide Amyntam
Detineat, iunctas qui tenet ignis aves.

SIMO-

(*) Per figuram synaeresin con- trahuntur duae vocales in unam sylla-

SIMONIDIS

EPIGRAMMA

Ex editione Brunckiana 1776. 8.° to. I. num. XC. pag. 143.

Πραξιτέλης ὃν ἔπασχε διηκρίβωσεν Ερωτα
'Εξ ἰδίης ἕλκων ἀρχέτυπον κραδίης,
Φρύνῃ μισθὸν ἐμεῖο διδὲς ἐμέ· φίλτραδὲ τίκτω
'Ουκέτι τοξεύων, ἀλλ' ατενιζόμενος.

Latine redditum a Thylesto

Edidit Iacobvs Morellivs V. Cl. in Biblioth. MSta Marciana to. 1. pag. 457. 4.°

Praxiteles, quem passus erat, bene finxit Amorem,
Ex proprio formam concipiens animo;
Meque mei pretium Phrinae dedit: amplius arcu
Non utor: qui me conspicit, ille furit.

GI-

syllabam longam; quod innumeris probatur exemplis: tibi instar omnium sint illa Virgilii (*Aenead. lib. X. v.* 485.)

Una eademque via sanguisque animusque sequuntur;

& (*Bucol. ecl. VII. Pharmaceut. v.* 81.)

Uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.

GIGANTOMACHIA

Ex codice MSto Saeculi XVII. apud ALOISIVM THYLESIVM
Oratorii Neapolitani Presbyterum
V. Cl.

QVae facies tam vasta poli petit alta cacumen?
An rediviva manus redeunt nova monstra Gigantes
Nequicquam telis quondam deiecta trisulcis?
Agnosco genus invisum. Viden aethere in alto
Immanis quantum superet? viden arduus ut se
Erigat, antiquasque vias affectet Olympi?
Iam iam summus apex capitis cava moenia mundi
Pulsat, & huc illuc furit asper, sidera caelo
Diripiet, Lunaeque globum simul auferet, & te
Phoebe pater, lux unde fluit mortalibus omnis;
Et miseri in tenebris versabimur. Heu dolor ingens!
Huccine me rerum traxit sors dira, viderem
Exitium crudele hominum, crudele Deorum?
Nec Pater altitonans quicquam parat! an timet, & se
Abdidit in tenebris Orci Saturnia proles?
Vinctus ubi aeternis genitor fremit ore catenis.
Sed tonat. Ecce Deûm manus obvia; nescius amens
Vincat uter, trepidat mens anxia. Iuppiter urgens
Fulmina contorquet crebris ardentia flammis,
Et celer horrisono perlabitur aethere curru,
Confligitque feris immanibus; effera contra
Bellua consurgit, malis ingentibus; ultro

Per-

Pervolat, & rapidis velocior excita ventis,
Atque aliae innumerae pestes; pars ignea candet,
Pars cava, cyaneo pars sese involvit amictu.
Terribiles visu species; venit illa draconis
Torta modo, illa suis vasti fert cernua frontem.
Quin etiam proles agnoscitur, eminet alto
Quantus equo, rabidus centaurus saevit, & acrem
Prosilit in pugnam. Sed quis sublimis in altum
Tollitur alter Atlas humeris subnixus Olympi?
Vellere conatur molem; disiecta repente
Ne ruat in praeceps timeo domus ardua Caeli.
Mille simul caput aëreum sub sidera condunt,
Et trepida agglomerantur, hiant portenta figuris
Horrendis, & acerba fremunt per inania rursus,
Rursus & instaurat nova praelia, lumina prorsus
Eripuit densata cohors: pavor occupat eheu!
Hei mihi! quo rerum nunc se converterit ordo!
Huc Pater, huc Regina Deûm, Thymbraeus Apollo
Huc incumbe: poli succurrite sedibus omnes.
Auditis? vel me fallit spes irrita, quamvis
Vndique collucet flammis crepitantibus aether?
Iam graviter percussa gemit fera turba, nec ultra
Sustinet; huc illuc pavitans furit aspera Iuno,
Et rapidis devecta quadrigis, omnia differt
Monstra, fugae quo se mandant trepidantia, & abdunt
Trunca tamen laceris membris, & clauda sub imis
Val-

Vallibus, & ſiquid ſpeluncae oſtenditur uſquam;
Aut fluvios deſeſſa petunt, vaſtaſque paludes;
Quae tamen arcitenens adducto conficit arcu;
Quod ſupereſt radiis urit vallatus acutis,
Relliquiaſque petens, non illas deſerit ante,
Quam cruor exhauſtus penitus velut umbra recedat.



Ex Marmore
In Museo Danieliano Casertae

AD

SCIPIONEM CAPYCIVM

EPISTOLA

Ex Cod. MS. saeculi XVI. apud Iacob. Morellivm V. Cl.

Tristem quando hyemem abs Te procul hinc ducere cogimur,
Dum belli furor, & dira lues stirpitus interit,
Rursus Romuleis moenibus excisa repullulans,
Nostri vive memor, Te mea seu terra tenet, suis
Tandem iura viris, est ubi Rex mersus aquis Gothus,
Oblectatque sequax, umbra velut, te Poladirius,
Curas qui alloquio mente graves non minus eximit,
Aegros quam revocat semianimis doctus in aethera;
Mavis sive tuam Parthenopen incolere auream,
Apportans patriis gaudia iam mille sodalibus.
Me vellem hinc nitido ver simul ac riserit aëre
Intersusa & hirundo vaga transmiserit aequora,
Vestigansque sagax, excitus & corda cupidine
Exquiram Te, ubi eris cunque, nec usquam abstrahar amplius;
Neptuno tamen haud credere me constitui fero;
Pessum namque rates innumeras is dedit hic modo
Turbatus nimis, atque evomuit corpora tabida
Nautarum exanimum, gurgitibus funditus expuens;

Tutum

Tutum ſegnis eques conficiam ſed rediens iter.
Felix illa dies, qua mihi, qua Te dabitur frui,
Vicinis veluti quondam in agris non ſemel obtigit.
Quo rurſus dederint ſi reditus numina Coelitum,
Et colli aëriam conſpicuo ponere villulam,
Aetatis requiem iam gravis, atque otia libera
Divellet nihil unquam inde, niſi horrenda neceſſitas,
Feſſus cum exuvias abiiciet ſpiritus evolans.
Noctes atque dies interea ſcriptus inhaeſerit
Non eraſilibus pro meritis corde CAPYCIUS,
Numquam atque ore CAPYCII *exciderit nomen amabile.*
Laetus ſed valeas cum decorato eximio aulico
Inſigni, atque equite, atque Aonii fluminis accola,
Iardinoque; ſalus, res bona, & uxor tolerabilis.

VALE.

Vetustae arae facies



C. In. Mauro Danieliano Casertae


PROMETHEVS

SATYRA I

Ex eodem Codice Morelliano

DAedalus ignipotens devinxit crura Promethei
Compedibus quondam iussu Iovis, unde cruentis
Cautibus assidue fremitus tollebat inanes,
Ante volans lucanus atrox, cum lapsus Olympo
Armiger increscens cor scinderet unguibus ales,
Et vespertinus peteret satur aethera rursus.
Talia deformis coniux formosa mariti
Implicuit Paeto trux vincula coeca, nec ulli
Visa, secant penitus quae tabida, foedaque membra,
Impediuntque pedes nodosa manusque, nec usquam
Corporis est expers saevi pars ulla doloris.
Uritur abstrusis facibus, queis non minus ardet,
Quam Deus Oethaeo qui vertice fervidus astra,
Mille neci postquam dederat portenta, petivit.
Nec Venus huic tantum nocuit; comes additus una
Liber, & hic laqueos fallax astrinxit eosdem.
Debet enim manicas Paetus, pedicasque Lyaeo;
Debet Acidaliae; nimirum durus uterque est.
Quos sic infixus stratis vix praeterit hora,
Quin colat, his tantum addictus, reliquosque Deorum
Accu-

Accuſet, voveat, diraſque precetur in omnes.
Impia quandoquidem ſupereſt quoque lingua diſerti
In Superos, obſint tanquam mortalibus ipſi,
Aut ſaevis tanquam miteſcant vocibus ullis;
Ac potius non ſint haec incrementa malorum.
Iure tamen Cypris, ſi verum quaeris, in illum
Aſpera ſaevit adhuc, rurſus mea dicta retexo.
Aſpernatus enim veneres, ſectatur amores
Aligeros, quamvis claudus, captatque volucres,
Vt comes Alcidae tacite periurus adunco
Alta Philoctetes torquebat ſpicula cornu
Nubibus aeque ipſis praeter ſublime volantes
Vincere tardus aves ſternebat penniger heros;
Supplicium unde luit Paetus, vivitque dolores
In diros, luctus miſeros, turpeſque querelas;
Odit enim proavos Iove nata Cupidinis aeſtus.
Sed tu, Bacche, puer ferus, ah ferus huncine torquens
In caput hoc ſaevis? quo nec tui amantior alter,
Alter nec furiis aeque excitus orgia ſolus
Nocte dieque pius celebrat, nec Moenades olim
Cunctae ſic thyrſo ſtimulantur, ſemper ut unus.



PHAL-

PHALLVS (a)

SATYRA II

Ex eodem Motelliano Codice

IN partes noſtri venies quoque, Phalle, libelli,
Peniculiſque, noviſque coloribus oſcula pingam:
Sepiolae pingam tibi ſuccis oſcula, Phalle;
Et velut arce Minerva videberis editus alta,
Eluere unde valebit aquae vis nulla, nec aevum,
Poſtera ne bona tanta nepotum neſciat aetas;
Debet enim dilectus amiculus hanc tibi opellam,
Deliciae ſaecli; nam quid tibi dignius ore eſt?
Nil olitoris habes, nil aut meſſoris aduſti,
Dicaris quamquam ſalx omnibus unca, minaxque
Cuſtodis nemorum; fuit aut Saturnia qualis;
Non lanii quicquam; iunices immolet etſi
Frater agens fratris decus oris Cacus amoeni
Omento gaudens mundiſſimus, atque machaera,
Aera cavo condens cornu de merce popelli.
Tyndaridae gemini in terris generoſa propago;
Alter ſalce ferox, ſtillanti alterque ſecuri,

Sal-

(a) Satyra haec *Ironiae* titulum praeſefert in Codice Morelliano. Quem vero potiſſimum in ea ironice carpat THYLESIVS; & quorſum obſcurus ejus ſermo ſpectet, ignotum. Ludimagiſtrum quendam ex Inſubria perſtringere videtur.

Salvete heroum genus inclytum, & aurea proles:
Vobis ſaepe dicare meum mihi carmen amori eſt.
Sed quid, corculum, & Inſubrum Pitho loquar, ut tu
Eloqueris, latrans non ut ferus ora moloſſus,
Nec furiale tuens; blando ſed rhetor ocello,
Ignea mica, neſas, ſaliens quem laeſit, anhelas
Dum pronus tumido pennis languentibus ore;
Poenitet unde patrem furti tam ſaepe Prometheum;
Me ſed amatorem torquet, tibine obſuit, o ſors,
Tantula res tanto? caſum iam paſſus eundem es,
Vſque pharetrato tenui cum proſilit igni,
Excitus & ſomno pavidus fugit ore Cupido.
Sed bonus, ut reddam quae reſtant, accipe porro.
Te praetextatum florem decet edocuiſſe;
Non notha qui tunica praſino tegit inguina fuco:
Hybrida turba tuo eloquio non digna vetuſto eſt;
Concolor hortenſi nec cannabe condecet illis
Te toga diſcipulis, Sabinum at ut alba magiſtrum;
Nec gurguſtiolo, ſubterraneoque barathro
Omnibus ima trucem referentem Tartara paenis,
Vocibus horrendiſque rotantem turbine pupos,
Impactoſque ſolo rapere, & mutilare miſellos,
Atque cadaveribus decet inſultare cruentum;
Vt quidam, noſti quem, te nihilo minus ipſo
Extruſit vitam qui corpore flaminis ictu;
Nec tamen ille, malum, conſtricta fauce pependit;

Mil-

Millia praesertim caedes cum praeter apertas
Molitur furtim, livore ubi liquitur acri,
Laudibus & percussa alienis uritur auris;
Quin laudatoris capiti insidiatus amico
Saepe tui laqueos incassum, hamosque tetendit,
Deprensis dirus frendens quibus ingemit auceps.
Castus at ipse manus, animumque intactus ab omni
Labe, puer, quae te felicia saecla tulerunt!
Exprimis arenti nunquam tu pumice succum;
Raditur aut inopi tremuloque teruncius ulli,
Vique, doloque lucrum nec tu rapis undique cerdo.
Non iactus Hylaeus ut inter pocula adhinnis,
Excipit exertae coniux ut verbera tentae
Compotrix sacrum natis discentibus ipsis,
Vt conspurcatus repetis praesepia barrus.
Attice, Cecropiis ornatus & artibus idem;
Nulla sonat cuius longinquos lingua Britannos,
Quaere Academiae sylvas, & amoena Lycei:
Sunt platani, & fontes, ubi mollis & herba, docentem
Excipiet quae te florescens laeta rosetis,
Et contacta tuis fundet violaria plantis.
Sive cupressetum Gnosi iuvat, ore disertus
Digna Deo fari poteris: locus appetit is te
Forsitan, heroum pubes; te lexque Deorum
Artibus expolienda manet coelestibus omnis,
Ingressum penitus sinuat qua Pelion antrum,

Pini-

Pinifer aut Coelum Libycus qua ſuſtinet Atlas.
Felix o, nimiumque beatus, ſtabit Achillem,
Stabit & Alcidem puer ante, eſt quiſquis alumnus.
Mens dubitat rurſus, dum formam conſpicor, & dum
Vocula delinit dulcis modulatibus aures,
Ales an inſtauratus ades, volucriſne puella;
Quo te cumque tamen delegant numina Divum,
Felicem nimis o tali me tempore natum!



Ex Marmore
In Museo Danieliano Casertae

ORPHEVS

Cum interpretatione italica IVLIANI GOSELINII, ex eius Carminibus italicis Venetiis editis 1588. 4.°

ARguta primum cum plectra parentis, & auro
Distinctam sumsit citharam Rhodopeius heros;
Ridebant segnes pulsus, digitosque micantes
Serius, & chordis indoctae dissona vocis;

Mox pudor exardens, & gloria dulcis honesti
Lusibus avertit puerilibus; omnis & illuc
Perditus incumbens Musae pallebat amore.

Et

QVando al plettro famoſo
Del padre, a l' aurea lira
Pria la man porſe il giovinetto Trace
Riſe ognun, ch' ei non mira
Incauto, e deſioſo,
Che Fetonte nel Pò ſommerſo giace:
Ch' ei non conoſce audace,
Che 'l polſo ha tardo, e lento,
A le ſonanti corde;
Nè la voce ha concorde
Al lor ſoave, uſato, almo concento:
Tanto di noi l' amore
Può in giovenile errore.
Ma come poi s' accorſe,
(Che 'l ver non può celarſe)
De l' altrui gioco, e del ſuo folle ardire;
Ratto nobile, ond' arſe,
Disdegno al cor gli corſe,
E v' acceſe di gloria alto deſire;
E ſeco preſe a dire,
Di virtù vera amante,
Pur d' Apollo ſon io
Figlio, e nato di Clio;
Laſſo, ond' avvien, ch' io come lor non canto;
Ed in queſto penſiero
Contra se ſteſſo è fiero.

Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus: hinc illinc discens dependet utrinque.
Nulla venus faciem cepit mentita dolosis
Compedibus; somni fuerat, parcusque Lyaei:

Donec, ridiculus dudum, modulamine silvas
Evulsosque suis scopulos radicibus egit:
Ausus & ire viam mortalibus inconcessam,
Poenarum oblitos demulsit carmine Manes.

Non

Quinci talor del padre,
De la madre talora
Va rimembrando il desiato stile:
Quinci e quindi ad ognora
Da le voci leggiadre
Di lor impara a farsi lor simile:
Ei tien tutt' altro a vile;
Nè Cupido con l' arco,
Nè Venere con frodi
Vuol, che l' impiaghi, e annodi;
Al sonno è desto, e nel suo viver parco:
Con questi modi Orfeo
Udite quel, che feo.
Colui colui, che dianzi
Movea le genti a riso
Con roca voce, e dissonante cetra;
Tanto è da se diviso,
Corso è cotanto innanzi,
Tanto da l' arte, e da lo studio impetra;
Ch' ogni selva, ogni pietra,
E i monti da radice
Svelle, e tragge al suo canto:
Del crudo Averno il pianto
Addolcir pote, e fuor trarne Euridice.
Chi vivo andò a l' Inferno?
Chi salì quinci eterno?

Tro-

Non levis adſcenſus; ſi quis petit ardua; ſudor

Plurimus hunc tollit; nocturno exſomnis olivo

Immoritur; delet quod mox laudaverat in se,

Qui cupit aeternae donari frondis honore.

Vetustae arae facies



In Museo Danieliano Casertae

Trova erta la ſalita
  Chiunque in alto ſale,
  Chiunque aſpira a glorioſa meta;
  Ma ſudor molto l'ale
  Gli preſta, e la ſua vita
  Poca eſca paſce, e leve ſonno acqueta.
  Vita tranquilla, e lieta
  Poſcia ne mena ſempre;
  Nè riſco, nè periglio
  Cangia 'l ſuo forte ciglio
  Giammai, nè turba le ſue liete tempre;
  E ſe a l'Inferno ſcende,
  Taccion le furie orrende.
Tal, mentre ch'io ſenz'arte, *Proſequitur* GOSELINIVS
  E temerario ardiſco,
  Donna, d'alzarvi al Ciel con baſſe rime;
  Ride ognun del mio riſco,
  E vergo queſte carte
  Al vento, ch'ir non ponno ultime, prime.
  Ma amor nel cor m'imprime
  Un ſuon dicente, ſpera;
  Tien pur gli occhi in quel lume,
  E cangerai coſtume:
  Temer non de' chiunque è di mia ſchiera:
  Orfeo non fora ſtato
  Senza me sì pregiato.

Apol-

Apollo, e Clio coftei
 A la tua cetra fia;
 Se di farti hai defio cantando chiaro.
 A l'erta, e china via
 I bei lumi di lei
 Sian le tue fcorte; i' verrò teco a paro;
 Ch' ivi m' albergo, e 'mparo
 Quanto faetto, e volo;
 Da lor prendo baldanza;
 Da lor l' alta poffanza,
 Onde a Cocito i più bei nomi involo;
 Et a l' eterno, e facro
 Tempio gli ergo, e confacro.
Quinci quinci fper' io, leggiadra Donna,
 Farmi, voi fola amando,
 Famofo anch' io cantando.

Vetustae arae latus



In Museo Danieliano Casertae

CAR-

CARMINA ADOPTIVA

D IANVS

IANVS THESEVS CASOPERVS

Ex eius *Carminibus* Venetiis editis 1535. 8°
pag. 43.

ANTONIO THYLESIO

BENE ESSE

ARrogantiae ascribas nolim, si nulla antehac Tecum necessitudine devinctus, rude Carmen mittere non erubuerim, Teque ad scribendum provocaverim. Coëgit amor, quo litteris claros vel nunquam visos religiosissime complector. Id fortasse amicitiae inter nos auspicatissimum erit exordium, meque mutuo adamabis. Metiaris, obsecro, studium erga Te meum; & quamprimum cum necessariis non fastidiendis annumerabor. Vale. Psychro XIV. Calendas Augusti CIↃIↃXXX.

MAntua magniloquo portatur in astra Marone;
Vrbs Flacco Venusina extat tumefactaque alumno;
Pelignus celeber Nasonis carmine Sulmo;
Et subnixa altum gemino Cosentia ponte,
Non quod divitiis Calabras supereminet urbes,
Belligerisque viris, longis auditur in oris,
Atque excelsa ferit sublimi sydera laude.
Non quod Caesarei multo munimina castri
Fortia sint plumbo, & longe muralibus hostes
Tormentis abigant, sacrique arcana reservent
Imperii, circumpagi maneantque trecenti;
Sed quia Te gremio fovit genitoribus ortum
Patriciis, & blanda aluit, puerumque magistris
Grammatices tribuit qui caeca aenigmata norant.
Pollice ut artificis formaris cera, decorus
Evadis tenero sat honestis moribus aevo,
Sedulus & quamquam Ausonias evolvere chartas,
Vix elementa tamen graecae cognoscere linguae.

Nullus doctor erat Calabris famosus in oris,
Qui doceat cupidum Sophiae praecepta Pelasgae.
Ergo quum prima mentum florescere pube,
Es lare digressus patrio, Tyberinaque laeto
Corde fluenta petis, septeno Romula monte
Vrbs ubi fulta viros fortes in Martia nutrit
Praelia, & in placidas Attaeae Palladis artes.
Hic primae admotus classis doctoribus, hauris
Omne brevi Latiae linguae quoque nectar Achaeae;
Castaliique satur nec sorbitione liquoris,
Divite at ingenio, & praelarae flumine venae
Et navo studio vates sis maximus, aequo
Vt pugnes priscis certamine. Vera Rudinus
Eloquar, & rapidi cedit tibi musa Lucreti.
Poenus cuique ferox, & cui describitur Argo
Peliacis fabricata iugis, in Phasidos aurum
Praecipiti dubium remo ascensura profundum.
Assurgit Maro quin etiam, mirabile fatu est,
Quam praedulce canas, quam culta poemata nectas.
Quum scribis duros subeat quot nauta labores,
Iras Neptuni expertus Thetidisque videris,
Non semel insultus, tumidique pericula ponti.
Aspera quum functi deploras fata parentis,
Statius inferior lugubris carminis arte est,
Quum moestum exequiis carmen patris intulit; ambis
Condere si blandos elegos, nocturnaque ludis
Furta puellarum, superatur celsa Tibulli
Gloria, & Vmber amans mutescit, Cous & edit
Gymnasio haud ullo admissus lamenta Philetas.
Nobilis hinc adeo facta est Cosentia, adorat
Hinc Andes, tribuit cantus hinc Corduba palmam.
Publicus eligeris praeceptor, traditur omnis
Indolis egregiae gradivo nata iuventus
Instituenda tibi: quin addita plurima merces
Annua, nulli unquam sapienti indulta, diserti
PomponI ignoscant manes, sublimior Aulo
Necnon maior eras Syllano nomine Romae:
Circiter hic annos bisdenos sensa recludens
Discipulis abstrusa moram trahis, altus honore

Cul-

Culmine suspiceris patribus, miracla Senatus
Ingenii putat esse Tui, amplectuntur, amantque
Summates, carpuntque epulas, & pocula sumunt
Vna Campanum spumantia pocula vinum.
Et licet inter se certarint comminus armis
Dissimili Vrsa Columna; animo solum hoc tamen uno
Conveniunt, dum Te observant & munere largo
Ditant. Pontifici quin gratior omnibus, usque
Consilio intereras secreti conscius alti.
Vnius e voto pendebat sacra THYLESI
Curia, Cardineo donatis culmine tanti
Dimidium vix iuris erat; sed corripit ardor
Visendae patriae, qualis per turbida lassum
Aequora Dulichium ductorem, cernere fumum
Qui patrium optare, atque Ithacam praeponere vitae
Aeternae; mira est vis, atque potentia terrae
Natalis! vario vexantur pectora motu
Dum sumus externi, peregrino & degimus orbe.
Hic nobis requies ubi crevimus, atque ubi lucem
Hausimus, & paribus pueri sociamur amicis.
Quippe parum refert alienis omnibus oris
Auctos esse opibus, potioribus usque caremus,
Et sponte exilium ferimus, quo turbine damni
Advena mens agitur, quo impellaturque tumultu,
Expertus loquor: ergo avido cessisse potestas
Indulta ingenti tandem est molimine, luget
Nobilitas, & luget eques, queriturque minorum
Ordo virûm, magnus nimium dolet atque sacerdos,
Turba gemit patrum. Cuinam celeberrime doctor
Ausoniam linquis prolem? viduosque fideli
Filiolos monitu quis Palladis instruet arte?
Gymnasii quis Rector erit? palatia Musae
Romula destituent, & tectus arundine Tybris
Occultusque vadis numeros lugebit ademptos.
Interea Tu carpis iter, paucisque diebus
Et Calabrum fines, & Brutia conspicis arva,
Ante oculosque Tua est Cosentia denique, quisque
Obvius it civis, Superum laudatque tonantem,
Optato adventu laetus, contingere dextram

Cer-

Certatim gestit, blandasque expromere voces.
Hac circum stipante manu deduceris intra
Moenia, principio Divos, patriamque tot annis
Desertam miti facilis sermone salutas,
Excusasque Tuos abitus, mox laetus avita
Tecta subis, gaudesque aula requiescere cara.
Inque dies patrii sentis bona multa recessus.
Debilitant tamen ingenii non ocia vires,
Ast alta orsa capis Phoebea ope proelia terris
Gesta canis Ligurum (perhibent ceu) saepius agri
Commoda laudasti studiosus idonea Musis.
Inde nemus, rursque petis secreta, sub umbra
Dum Sol volvetur, victuraque carmina pangis.

IDEM CASOPERVS

Ibidem pag. 77. in Elegia subiuncta Epistolae Camillo Turri Neapolitano data ex Psychro v. id. Ian. CIↃIↃXXXII.

DOgmata novisti primo Ciceronis ab aevo,
Quicquid & in Latiis scribitur historiis.
Iure queas licet & doctos numerarier inter,
Socraticus suesti dicere scire nihil:
Atque ita facundi sequeris praecepta THYLESI,
Ocnaeo vati quem reor esse parem.
Vsque adeo magno diffundit carmine nomen,
Vt sit in Eois notus, & Hesperiis,
Qui modo Iulaeo Pompeio proximus haeret,
Et iusti atque pii commonet imperii.
Hunc colis, arrecta documentaque percipis aure,
Atque adyto mentis interiore foves.
Sed quum audire virum sit copia nulla, tenentem
Mitia longinquae litora Parthenopes;
Illustri parere duci, & vigilanter obire
Nocte dieque hilarem grandia iussa libet.

COSMVS

COSMVS ANYSIVS

Ex eius *Carminibus* Neapoli editis 1533. 4.°
pag. 50. a t.

AD ANTONIVM THYLESIVM

Non lex, non ratio, Fortunae ſuadet honeſtum;
Sed cuncta temere calcat impotens dea:
Aſpicit iniuſtos propius, petulansque, procaxque,
Vt quae retrorſa ſemper improbaque fuit.
Ne te igitur crucia, THYLESI, ſi tibi iniqua
Eſt illa; te animi divitem hinc intellige.

LECTORI

Inter Iani Anyſii *Satyras*, ut inter *Carmina* Nicolai Salerni occurrunt Verſus ANTONIO THYLESIO inſcripti; cum vero nulla de eo honorifica in illis mentio fiat, conſulto nos illos praetermiſimus.

ALOI-

ALOISIVS THYLESIVS

FRANCISCO DANIELIO

S · D

ANTONII THYLESII, viri praestantis ingenii, suaque aetate eruditionis minime vulgaris, Opuscula, cum ligata numeris, tum soluta oratione delitescerent sane, non sine eruditorum damno; eaque tanquam deperdita, nos doleremus, ni Tibi Aemilius Ianutius auctor fuisset, ut illa sedulo a Te conquisita, proque dignitate ornata in vulgus emitteres; quod Tu quidem, humanissime Danieli, egregie praestitisti; quantamque cogitationem studiumque in id posueris, nitor libelli satis ostendit. Me vero puerum adhuc ab avo meo Valerio Thylesio saepius sciscitasse memini quisnam hic esset Franciscus Danielius Thylesiorum gloriae tantopere studiosus? & ille mihi Te hominem sibi necessitudine officiisque coniunctissimum, praeterea mira suavitate elegantiaque morum praedicabat. Et re quidem vera id expertus sum ego ipse cum primum Neapolim adventarim; nam, vel solo nomine Tibi commendatum, me statim, quae tua est humanitas, amare coepisti; omnique porro officiorum genere devincire nunquam destitisti. Quae cum ita se habeant, ubi rescivi Te in eo esse ut *Carmina* nonnulla & *Epistolas* ANTONII nostri, quae in sylloge illa Tua desiderantur ad editionem parares; Te rogare obtestarique duxi ut Marci Antonii Thylesii italicam interpretationem Horatianae Odes, necnon Laelii Capilupii Versus ad Bernardinum Thylesium ANTONII ex fratre nepotem novae huic Tuae collectioni, quasi mantissam, adiungere velis; quod si feceris; neque a Te pro singulari qua me profe-

prosequeris benevolentia facturum despero; gratum mihi erit quam quod gratissimum. Da operam, Danieli optime, ut valeas; & litteras apud nos paene intermortuas & ope & consilio, exemplo denique Tuo, quemadmodum quidem facis, excitare perge; nosque ama, amore illo Tuo singulari. Vale.

Ex aedibus Neapolitani Oratorii prid. kal. Iunias CIↃIↃCCCVIII.

Ex libro inscripto : *Odi diverse di Oratio vulgarizzate da alcuni nobilissimi ingegni, raccolte per Giovanni Narducci da Perugia*. Venetiis 1605. 4.°

O d' alti Regi gloriosa prole ;
O mio dolce sostegno , e dolce onore
Mecenate gentil ; molti son vaghi
Di coglier polve ne i famosi giuochi
Di Giove Olimpo col veloce carro ,
E di schivare il destinato segno
Con le ruote ferventi , e far acquisto
De la soave ed onorata palma ,
Che ci ripone in Ciel fra gli altri Eroi .
Questi, se nobil stuolo de' Romani
Combatte d' inalzarlo a i sommi onori ,
Quel, se nel suo terren lieto raccoglie
Ciò , che ne' campi d' Africa si miete ,
Non lascerà la villa , e la cittade
Per solcar di Nettunno il vasto regno ,
Sebben lor dessi d' Attalo i tesori .
Mentre teme l' avaro austro crudele ,
Che turba il mar , che d' Icaro s' appella ,
Loda l' ozio , e la villa amata e cara ;
Ma uscito poi da così gran periglio
Il suo legno risarce , e torna a l' onde ;
Che l' aspra povertà l' è troppo a noja ;
Altri spende in conviti i giorni interi
Giacendo or sotto d' un fronzuto faggio ,
Or presso un fonte , e sacro , e chiaro , e fresco ,
Che dolcemente mormorando corra .
Molti son vaghi del sanguigno Marte ,
E del suon de le trombe orrendo , e fiero ,
Che la timida madre odia , ed abborre .
Stassi sotto il Ciel freddo il cacciatore ,

Posto in obblio la dilicata moglie;
O che fugace e timidetta cerva
Abbian visto i suoi cani, o che 'l cinghiale
Abbia la dura rete e rotta, e guasta.
L'edera onor de le famose fronti
Per un nuovo sentiero al Ciel mi scorge,
E de le Ninfe le leggiadre schiere
Mi fanno singular da l'altra gente,
Se non mi sia de le sue grazie avara
L'Alma Polinnia, e se la saggia Euterpe
Non schiferà temprar la lira al canto:
E perciò se da te giudice accorto
Sarò posto fra' Lirici, parammi
Di toccar con la testa l'alte stelle.

LAE-

LAELII CAPILVPII (a)

AD BERNARDINVM THYLESIVM

Ex Sylloge Etruscorum poematum, quae inscribitur: *Libro V. delle Rime di diversi ill. Sigg. Napol. e di altri ingegni.* Venetiis 1555. 8.° pag. 424.

Tilesio, Voi che col veloce ingegno,
Trascorso avete in sì pochi anni il Mondo;
Misurando la Terra e 'l Ciel profondo,
Già siete giunto di saver al segno:
Mostratemi il cammin, se ne son degno,
Da seguir Voi col bel lume giocondo;
Che trar mi po' dal tenebroso fondo
D' alta ignoranza, onde ho me stesso a sdegno.
Forse che allor in tanto onor salito
Potrò col dotto stil ritrar in parte
L' angelica beltà, che v' innamora;
E cantando portar in ogni parte
Il nome vostro, che Cosenza onora;
Ed io con Voi sarò mostrato a dito.


ANTO-

(a) Quanti Bernardinum Thylesium fecerint Capilupii fratres perspectum habemus ab his, quae a Ioh. Antonio de Aquino narrantur: *Ritrovandosi un giorno Monsignor Ippolito Capilupi Vescovo di Fano con Francesco Re di Francia, gli disse, come uno Italiano avea cominciato a scrivere contra la dottrina di Aristotile; e che si confidava mostrare con ragioni chiare e vive, che era tutta fondata sopra principii falsi; e quel generoso Principe volle intendere il nome e la patria del Telesio, mostrando di ciò una allegrezza grande; e rivolto al Capilupi disse: Io prometto che se costui fa quel che dice, che io sono per dargli diecimila fiorini d' entrata.* (Orazione in morte di Bernardino Telesio. *Cosenza* 1596. 4.° pag. 10.)

ANTONII THYLESII

CONSENTINI

EPISTOLAE





ANTONII THYLESII
CONSENTINI
EPISTOLAE

ANTONIVS THYLESIVS
DOCTISSIMO ET PROBATISSIMO IVVENI
BENEDICTO RHAMBERTO
AMICO OPTIMO AC SVAVISSIMO

Ex authographo in Bibliotheca Seminarii Patavini: misit Iohannes Pizzatus Biblioth. eidem Praefectus V. Cl.

EX epiſtola, quam ad me proxime dediſti, video te nonnihil ſollicitari, ac vereri, ne noſter ille permaneat in ſententia, te non ultro tantum diſceſſiſſe, ſed etiam id enixe pedibus mani-

manibusque fuiſſe conatum, ut aliquo exires. Quod tamen, etiamſi hominem offendiſſet, facile eius in te potes intelligere benevolentiam. Ea igitur, vel nobis quieſcentibus, tibi illum reconciliabit. Quamvis ipſe in hac re nihil non diſquiram, ut brevi redeas in gratiam. Hoc autem quia non coniicio, ſed plane eius erga te animum prorſus paternum perſpicio, audeo affirmare, ac etiam polliceri, et recipere. Tu igitur, mi Rhamberte, evelle funditus, ſi quid moleſtiae inhaeret; atque huic tuae cauſae in utramque aurem indormi; meum enim hoc erit, ubi redierit, abeſt enim hinc valetudinis recipiendae gratia multos dies, virum reddere tibi integrum. Raudenſis Tranquillum illibatum ſervat in reditum tuum; de quo ne verbum quidem. Tempus video iam prorogari, quod fero peregre. Fabella noſtra imprimetur brevi; eiuſque exemplum mittam ſtatim. Vale. Litterae tuae loquuntur pure: de proximis dico; ceteris enim vernacule ſcriptis ſuccenſui; & tamen nauſeola commoto ignovi.

Venetiis Non. Apr. CIↃIↃXXIX.

EIDEM

EIDEM RHAMBERTO

Ex Codice MS. qui olim fuit Iacobi Facciolati,
nunc in Biblioth. Seminarii Patavini:
misit idem Pizzatus.

LItterarum tuarum fermo, quoquo modo fueris eo ufus, femper futurus mihi eft fuavis. Quare, quamdiu abfueris, ne graveris, quaefo, frequenter fcribere. Id erit mihi fummae voluptati; fed multo iucundius, fi valetudini diligenter infervies, quoad tui amantiffimos lares revertaris. Hominem, de quo, cum difcederes, mecum egifti, hodie fum allocutus; ac nihil praetermifi. Cetera velim cures. Hoc meum eft. Animi commotiuncula, fiqua eft, facile, ubi redieris, fedabitur. Vale.

Venetiis nono die ante kal. Maii.

Vetustae arae latus



In Museo Danieliano Cuertae

EIDEM

EIDEM RHAMBERTO

Ex eodem Codice Patavino

EO a vobis animo discessi, ut brevi, rebus meis compositis, quas sciebam bello fere eversas, reverterem ante brumam eodem, quo huc pervectus sum, navigio. Sed ventis usus nunquam non iniquis, quasi profectionem ad meos mihi impedirent, vix tandem apud Rossanum Calabriae urbem exponor quadragesimo secundo, postquam conscendi, die; ubi cum me rebus omnibus paene consumptum aliquot dies curassem, Cosentiam irrepsi una tantum de causa laetus, quod fratres, reliquosque domesticos, quibus nonnihil metuebam, sospites inveni; cetera totius patriae ita mutata conspexi; ut non possem graviter non angi, milliesque dolerem, tibi, qui nihil prorsus praetermisisti, incommoda, laboresque, & pericula amice, ac vere exponens, ut me de sententia deiiceres, non fuisse obsecutum. Quamvis non hic tantum poenitet; sed inter navigandum, quod iter sensi semper non incommodissimum modo, sed formidinis, ac terroris plenissimum; quibus malis cum versarer, quando Rhamberti mei tristis,

ac flebilis imago ob oculos non versabatur! Et quoniam nescio quo modo suaves sunt, ut dicitur, acti labores, animusque aliqua voluptate afficitur, eos tibi per epistolam explicare, teque eundem existimo amicissimi hominis aerumnas, casusque iam praeteritos iucunde auditurum, breviter accipe, quam fui, dum rebus meis studui consulere, & desideriis, quae me huc adegerunt, satisfacere, perpessus. Nam cum mecum ipse constituissem conscendere, coeloque nubilo bene mane de navigio rogassem, quia certum mihi erat, atque Apollonio iter ingredi, audio, illud iam ante lucem, atque adeo de nocte solutum passis velis multum fuisse progressum; quod ubi praeter expectationem nunciatum est, statim commotus, an discesserit Apollonius, percontor. Id cum aliqui affirmassent, etsi non possem non turbari, statueram tamen in melius, quod non datum erat, Venetiis abire, ut aiunt, accipere. Ecce navicula nescio quonam meo fato obiicitur, cuius cum mihi dominus polliceretur, antequam advesperasceret, navigium assequi, in eam confestim insilui; atque diu errabundus ad quartam noctis horam per summam remigum indignationem ac stomachum; unde solus cum essem

ſem inter nautas inhumaniſſimos, non ſemel animo cohorrui: quam quaerebam, vix tandem navim applicui; ac coepi, antequam inſcendiſſem, adſum, Apolloni, non ſemel clamare; qui cum nullus reſponderet, ingens repente invaſit animum aegritudo, quae me plane confeciſſet, niſi poſtridie ſub lucem quaſi divinitus adeſſet ille, cuius conſpectus incredibile eſt quantum me prorſus afflictum excitaverit. Enimvero niſi comitem nactus eſſem civem meum ſumma praeditum humanitate, haud praeclare mecum fuiſſet actum. Quid quaeris? Unius tantum ſuavitate leniebatur quodam modo rerum omnium acerbitas, quia nunquam quicquam pertuli moleſtius; nam ut hoc primum audias, quod me perterrefecit, primum, tanta ventorum vis, poſtera quam Venetiis diſceſſiſſem nocte, incubuit, ut nunquam aeque timuerimus quicquam; cuius cum impetus eſſet ad lucem remiſſus, atque etiam ſedatus, incerto curſu modo provecti, revecti modo erramus multos dies; duodecimoque apud Parentium iactis anchoris conſtitimus; qui ſinus, ut noſti, noctis unius curriculo transmittitur. Verum ut incommoda, taediaque praeteream, quae etſi erant perpeſſu difficillima, iucunda fere videban-

debantur prae formidine, quae ut umbra nos nunquam deſeruit; terribilis tamen apud Lycium Apuliae urbem exſtitit; ubi parum abfuit, quin tempeſtate abrepti naufragio afflictaremur. Ora iam ubique proxima ventis furentibus exitium minari videbatur. Sed ne te diutius morer, ad ea reſpondebo, quae cupis intelligere. Ego, mi Rhamberte, ſi veſtra omnium in me ſtudia, digna quidem non grata tantum memoria, ſed quotidiana teſtificatione, ſic in animo cohoererent, ut poſſent aliquo tempore abſtrahi, prorſus me inhumanum faterer; verum ea ita penitus recondita, atque infixa reſervo, ut mors tantum queat illa extirpare; atque utinam non eveniſſet, ut neceſſitas, quam non eſt hic ſcribendi locus, in patriam me retruderet, facile vobis animum bene memorem, atque etiam gratum, non ſine aliquo iuventutis beneficio, tuoque in primis, cuius in me amorem ſenſi egregium, omni ex parte comprobaſſem; quod ſpero futurum. Vbi enim ea, quorum gratia huc properavi, ita diſpoſuero, ut abſens animi non pendeam, ad vos ſtatim recurram; hac vero hyeme, ſcio, me ad reditum nemo quamvis iniquus adhortaretur, itinere praeſertim non tutiſſimo. Quare

re nisi quid obstiterit, veris diebus accingar. Quod autem scribis, Decemviros, quorum auctoritas apud me semper fuit, eritque maximi, de nostro discessu subqueri, quia illis abierim insciis, quod peccatum fuisset haud leve, quid? oro te, nonne Dedus Scribarum maximus veniam dederat, consultis ante Decemviris? quo mortuo Andreas Franciscius eius successor factus fuit a me certior; quamvis vir ille optimus, ac prudentissimus nunquam destitit me de sententia depellere. Theupulus quoque Decemvir, ut tu ipse saepissime detulisti, cum videret, me ut discederem constituisse, non semel vir humanissimus doluit. Sed quid in singulis commemorandis immoror? Nemo vestri ordinis, iuvenis nemo, qui modo litteris esset imbutus, rem nesciebat; praesertim cum adversa tempestate detentus, impositis iampridem in navim scriniolis, multos dies fuissem ad iter accinctus, Venetiis stomachans quodam modo, cum mecum nonnunquam esses tu, non posse proficisci. Quod si nihil aliud praeterea me isthuc repelleret, vel hoc unum ad reditum ageret, ut praesens me purgarem; quamvis querela illa non tam mihi molesta est; praesertim cum facile possem apud viros aequissimos me excusare, quam suavis, ubi meam

meam ipſe cogito, fidem, induſtriamque noſtram ab illis, quorum doctrina, & prudentia ſumma eſt, deſiderari. Quanti autem ordo ille ſummus, & reliqui cives tui a me fiant, ex hoc potes intelligere; cum enim ventis delatus apud Raguſium menſes tres eſſem, urbemque fama celebrem inviſerem, ac Raguſaei ultimo ducentos aureos ſolutos in publici magiſterii mercedem quotannis offerrent, ſummum etiam inter Scribas locum, unde centenos praeterea accepiſſem, conditionem pro temporum iniquitate non malignam, ne vos, quos equidem pro veſtris in me meritis uſquequaque venerabor, offenderem, ſtatim repudiavi. Ad extremum, ut finem ſcribendi faciam, certum eſt, brevi apud vos eſſe, atque una vobiſcum tantae urbis magnificentia, & tranquillitate, quamdiu vixero, frui. Valete interea Thyleſii veſtri memores. Salutem omnibus, ſeorſum tamen, & egregiam, honorificisque verbis nunciato iis, quibus ſcis, me plurimum debere, etiam Mario adoleſcenti clariſſimo, omnibusque Academicis. Haec exaravi, cum adhuc non plane eſſem confirmatus, ſed languidus de via. Coſentiae xxv. Novembris cIↃIↃxxIx.

Has, ſi tibi videtur, ſolus lege; ſcriptae ſunt enim non diligenter.

EIDEM

EIDEM RHAMBERTO

Ex eodem Codice Patavino

CLausa iam epistola, cum hominem, cui daretur, expectarem, ecce litterae tuae superveniunt plenae querelarum. Satisfaciam tibi, mi Rhamberte, &, ut mandas, hodie scribam accurate. Sed quid hoc? non licet hominibus laborare? Vtinam hoc mihi fuisset concessum, ut neque etiam valetudine fuissem retentus. Caussatum me aliqui suspicantur, cur potius ad eos, qui pro libertate acriter semper pugnarunt, libere non scripsissem; velle me apud meos quiescere, vel Mediolani, ubi plerumque aetatis consumpsi, vel hic; quis mihi hoc non permisisset? Sed quando sperabam posse mei cupidos revisere, repente aliqua oboriebantur, quae me, quominus quod promiseram, efficerem, prohibebant; nec unquam deposui redeundi propositum, magis ut vobis consulerem, quam mihi; nam ego iam animum despondi; & victus partim rebus adversis, partim aetate, & valetudine non firma, statui non sustinere quas diu sustinui aerumnas. Quod si possem nunc adduci, ut profiterer, quum Ragusaei aureis

aureis ducentis me publico decreto ſponte vocaverint, & Mediolanenſes ſummopere cupiant, ad ſe longo intervallo redeam; non iis tamen, ſed huic florentiſſimae urbi, & patriae ipſi Venetias virtutum omnium domicilium antehaberem. Sed certum eſt neque tam procul vitam agere, neque uſquam poſthac docendi onus ſuſcipere. Cur igitur non ita aperte, inquis, mecum per litteras egiſti? Sperabam, me poſſe brevi ad vos reverti: multa deinde nata ſunt, quae me, ut ſententiam mutarem, impulerunt; & tamen ſcripſi; aliquem ſubſtituerent, quoad redirem. Tragoediam nullam praeterea confeci: inſtitui Orpheum; ſed ne abſolverem, eaedem, quae mihi ad vos reditum eripuerunt, curae, & moleſtiae fuerunt in cauſa. Luſi tamen aliqua, in primis Pompeianum, ideſt Pompeii Columnae nemus carminae celebravi. Impreſſum ubi fuerit, fiet autem brevi, ad te mittam. Neapoli XVII. Cal. Ianuar. CIↃIↃXXXI.



EIDEM

EIDEM RHAMBERTO

Ex eodem Codice Patavino

LItterae tuae quo sunt frequentiores, atque etiam longiores, eo mihi maiorem afferunt voluptatem. Quamvis cum mecum ipse cogito, qui tam suaviter scribit, tam copiose, tam amanter, eo me iuvene caruisse, atque esse cariturum non possum non angi, & cruciari. Quod desiderium augent querelae, & moerores tui; quibus acerbe fero te plus nimio confici. Quorsum afflictio ista? Pater, inquis, obiit. Tibine soli id accidit? absenti mihi: hoc, quia oculis non aspexisti, minus dolendum: at omnibus carus; id vero debet consolari; nam quod de matris valetudine scribis, video, te animo esse admodum levi. Age, mi Rhamberte, te obfirma, quo filii optimi reditu possit illa, si quam tempus adhuc non delevit, aegritudinem funditus tollere. Ego, ut ad me redeam, vitam ago sine Musis, hoc est sine voluptate; quas animi delicias scelus mihi eripuit, famulum dico, qui, ut alias scripsi, ita me compilavit, ut pene nudum reliquerit; quas poenas fateor, me iure ac merito dedisse; cur enim tuis

tuis optimis consiliis non parui? aut agello sa l-tem meo contentus cives nostri amantissimos de-serui? Nunc omnis spes in uno est Pompeio Columna, Antistite amplissimo, litterarum fir-missimo patrocinio. Spero, necessitatibus nostris opitulabitur. Sed heus! vigentne isthic in aula Caesaris oratoria, ac poetica studia? An ne-gotiorum aestus non permittunt, quemquam in otio quiescere? Scribe omnia, & vale. Et tibi persuade, Rhamberto meo nihil in rebus huma-nis esse, ac fore iucundius; quem si quis Deus restitueret, non permitterem rursus sic temere eius humanitate privari. Mario suavissimo, at-que Oratori clarissimo salutem verbis honorifi-cis pronuntiato. Iterum vale. Neapoli XII. A-pril. CIƆIƆXXXII.



Ex eodem Codice Patavino

Tenet me non quidem illud recens, sed vetustum patriae tuae desiderium; cur non dicam nostrum? ubi ego diutius, quam alibi, vixi vobiscum iucundissime amore summo, ac mutuo, adeo ut quicquid honoris, aut commodi percepit interim illa, aeque ac vos ipsi, semper fuerim gavisus; contra quicquid accidit mali; accidit autem plurimum, & acerbissimum, nihilo dolui minus, quam quivis civis amantissimus. Sed ut ad animi affectum redeam, etsi ex quo, tempestati cedens, vos ego invitissimus reliqui, semper tantae urbis imaginem animo quasi impressam mecum habui ubi ubi locorum; non enim ipse furentibus isthic procellis, in portu, ut dicitur, navigavi; tamen cum audivi litterarum studia, saevitia temporum intermortua, Principis nostri liberalitate, atque etiam pietate iam reviviscere, coepi flagrantius quodam modo desiderio aestuare. Itaque statim ad Saulum virum maximae & eruditionis, & doctrinae epistolam exaravi, ageret, ut Mediolanum honesta conditione revocarer. Et quia soda-

ſodalitatis noſtrae memoria nullo umquam tempore poterit deleri, putavi, illam graviter violatum iri, niſi te quoque conſilii mei vellem eſſe participem; praeſertim cum huic rei multis de cauſis mihi poſſis magno eſſe adiumento. Accinge te igitur, atque una cum Corviſa noſtro, ad quem epiſtolam mitto, Saulo te ſocium adiunge, ac negotium confice. Sed quicquid futurum eſt, celeritatem vellem adhiberes, quo poſſim, ſi vacuum eſt, quod nunciatum fuit, alio me conferre; certum eſt enim non pati, per inertiam ingenium torpeſcere; nam & Veneti me revocant, & Neapolitani cupiunt hic retinere; quin & Illyrici obſignatas publice litteras ultimo miſerunt, ut ad ſe transierim, quotannis ducentos aureos polliciti. Sed tanti iuvenis docui. Quare ſi multi per me non tenuiter profecerunt; ſi amicitia non deeſt; ſi aetas non per ignaviam acta ad hoc munus obeundum eſt quam aptiſſima; ſi denique nihil eſt urbe illa magnificentius, effice, ut trecentis aureis reducar. Equidem ſpero, deſideratis omnibus, qui Mediolani docebant, litterarum profeſſoribus, quod ipſum aegre fero, non ab re forſitan Deorum benignitate me pene unum reſervatum, ut, ubi ingenium doctrina excolui,

ibidem, quod diu feci, iuventutem quoque instituerem. Tu vero, mi Capella, utcunque res successerit, rogo statim rescribas, meque ames. Neapoli xii. Kal. Septemb. cIↃIↃCCXXXII.



Ex Marmore

In Museo Danieliano Casertae

EPISTO-

EPISTOLAE ADOPTIVAE

IANVS THESEVS CASOPERVS

ANTONIO THYLESIO

S. P. D

Ex Casoperi Epistolis pag. 19. a t. Venetiis 1535. 8.°

MIrifico hercule gaudio fui affectus simul atque ex epi-la tua una cum carmine ad me data, amari plurimum intellexi; ego etsi iampridem tuae doctrinae celeberrimo nomine allectus, ad te diligendum animum applicuerim, posthac tamen adeo vehementer amabo, ut cariorem sim profecto neminem habiturus. Idque tibi de me non obscure pollicearis. Quid enim suavius? quid honorificentius? quid utilius tandem quam cum doctis benevolentiae vicissitudinem inivisse? Quorum vel indissolubiliter amicitiam amplexandam optimus quisque, nisi sensu plane communi caruerit, semper existimavit; utpote a plebeiorum gregariorumque ingenio penitus abhorrentium, qui a scortorum nonnunquam consuetudine, a crapulis plerumque sese vulgariter diligentes, ex usu, atque (ut ita dixerim) ex farina familiaritatem metiuntur; castumque vitiant amicitiae nomen, & mercenarium habent, atque venale. Hos si cum amicis Fortunam crudeliter se gerere, sibique novercari semel evenerit, more hirundinum, exacta aestate, confestim abiisse conspicies; proinde amicitiam ipsam virtutibus omnibus sententia mea longe commodiorem, nulla umquam labecula polluendam, qua nihil humano generi conducibilius religiosiusque divinitus datum est, foedissimis sordibus maculant, atque deturpant. Idcirco mihi ipsi gratulor maximo opere tam docti viri benevolentiam mutuam acquisivisse. *Imbrem aureum* Tragoediam proximioribus mensibus editam, nunc primitus visam, mihi tam comiter, tam benigne

nigne dono missam hilariter accepi, agoque gratias. Cuius perlegendae tanta statim cupido animum incessit, ut omissis seriis, atque nequaquam mihi crede, posthabendis negotiis, illam ad calcem usque studiosissime lectitaverim. Vtque carissimi Viri, carissimique monimentum diligenter asservo. Opus sane multiplex, varium, luculentum, atque omni ex parte affabre perpolitum, opus, inquam, dignum quod ab officina Thylesii litterati sane classici, primariique, ubi cedro digna cuduntur, publicum acciperet. Ibi, quemadmodum & in ceteris a te compositis poematibus, ingenium felix atque huberrimum, summaque doctrina liquido cognoscitur. Ita ut vel grandi deposito contenderem, Medeam illam Ovidianam, quae Quintiliano ostendere videtur, quantum vir ille praestare potuisset, si ingenio suo temperare, quam indulgere maluisset, & sententiarum pondere, splendoreque orationis longe inferiorem extitisse. Omnia adeo concinne, adeo decenter, ut nihil ad tragicam illam gravitatem possit desiderari; adeo momos omnes atque livoris oblatrationes effugit, seque a maledicentiae morsibus vindicavit; ut nihil ibi ingeniosus lector idem & curiosus quod carperet, inveniret. Opinor equidem Octaviam Claudii *Danae* tuae felix infortunium invidere, cui tam illustrem fata scriptorem indulserint. Stude igitur, mi doctissime, atque eloquentissime Thylesi, novi quodpiam in dies emittere, unde tibi ipsi sis immortalem apud mortales gloriam pariturus, posteritasque sentiat lucrifecisse; quippe quae sapientissimis operum tuorum institutis admonita, vel e bona melior evasisset, vel voluptati, nequitiaeque dedita e libidinibus emersisset, atque ad frugem bonam, ut aiunt, se recepisset, proptereaque manibus tuis quotannis sit sedulo iusta persolutura. Et quia, sicut scripsisti, me cernere mecum atque loqui desiderio moveris, te certiorem facio, licet ex quo Romae magno theatro profitebaris, istud ipsum desiderium contraxerim, simul atque tamen litteratas literas tuas benevolentiae plenas accepi, ardore serventissimo flagravi, ac prope desipui videndi tui, salutandique studio. Et nisi Syla Cosentina densissimis undique nivibus obsessa, frigido Decembri proficiscentem impediret, utrique nostrum obsecundarem. Atqui, inquies, recta via iter

iter tuum alia conficere potes? Non abnuo. Sed vitae periculum quamsaepissime immineret; quum tot fluvii sint necessario plerumque maximo cum discrimine viatoribus transeundi. Tu quando me amare coepisti, saluti meae modis omnibus esse consultum optare deberes; a me tamen detrectati laboris suspitionem omnem abdicaveris. Sed quum tutus istuc dabitur accessus, nisi me longinquas terras tunc temporis inhabitare contigerit, siquidem hinc proficisci proximo Ianuario decretum est, Cosentiam veniam, nimirum alloquendi te tantum gratia. Interea cura valetudinem; meque reculisque meis arbitrio tuo utere; offendes etenim ubique gentium quamlibentissime paratum.

Psychro XII. Calendas Ianuarias CIƆIƆXXX.



Ex Marmore
In Museo Danieliano Casertae

EIVSDEM, EIDEM

Ibidem pag. 30. a t.

MIraris fortasse, mi Thylesi, cur praeter expectationem tuam, atque etiam meam Neapoli tam subita profectione decesserim, nec tibi saltem nunciaverim. Deos testor, atque amicitiam nostram, nequaquam fuisse mihi animum discedendi, nisi te salutato, ut decebat; atque prius tibi consiliis de abitu communicatis. Sed audi. Quum ad Martyriani aedes, atque ad tuam peculiariter aulam me contulissem, inveni obserata omnia, introeundique potestatem abnegantia, puero in vestibulo duntaxat reperto, a quo accepi, te equum conscendisse, nec ideo quo destinaveras me potuit edocere. Itaque inveniundi tui spe destitutus. Scis enim Neapolim esse pene silvam proceris abietibus circumseptam, urgente avunculo, cui aeque ac patri sum immortaliter devinctus, tum ob sanguinis necessitudinem, tum ob innumera in me collocata beneficia, urbem istam tantopere exoptatam non sine gemitu derelinquere sum coactus. Et quaereres rationem? Non licet per epistolam, quae intercipi posset, aperire: utut res habuerit, scire debes ex usu fuisse in patriam repedasse. Non abnuo, inquies, & tu rebus tuis didicisti probe consulere. Sed patieris ignobilem, atque inglorium in tenebris diutius delitescere? Abdica segnitiem omnem Theseu, teque assere. Sunt & aliae urbes Neapoli, quod novi, forsan celebriores, atque ad studia literaria ociotiores, ubi ingenium tuum poterit elucescere. Circumvenisti me, ita ut expurgare cessationem atque veternum nisi hibernae intemperiei causatione non satis queam. Enimvero si vere novo Patavium contendero, nihil erit profecto quod in Theseo tuo debeas desiderare. Vale, & Coriolano Praesuli, necnon fratri a Secretis Regis, iuveni hercule provinciae nostrae ornamento atque praesidio unico me sedulo commendabis.

Psychro nonis Ianuarii CIↃIↃXXXIII.

ANTO-

ANTONIO THYLESIO

N.

Ex eodem Codice Patavino.

Scio ex meis epistolis multas tibi iamdiu redditas esse; idque cum vere sciam, non possum non graviter angi, te, quo, cum pater mihi superesset, ab eoque discederem, cariorem haberem neminem; cumque ille nuper fato mihi adversissimo ereptus sit, in eius locum positum ea charitate diligam, & observem, ut secundum Deum nihil mihi pluris sit faciendum, te, inquam, aut a me abalienato animo esse, aut superbum ita factum, ut nihil mihi rescripseris. Quod cum alterum a tua natura remotissimum sit, alterum vero nulla mea culpa accidere potuisse sciam, non intelligo, cur toto biennio ne cui mearum litterarum responderis. Quamobrem est quidem certe, cur ego maxime doleam, orbatus optimis duobus parentibus, quorum auctoritate, consiliisque fidelibus nixus, magna mihi quaedam proponebam, quae in ipso primo cursu fracta sunt, ac penitus dissipata. Horum quae mihi non una cum patre meo interiere? Quam ego iacturam non feci non omni quidem tempore compensandam? qui mihi posthac laetus illucebit dies? aut quibus potius in tenebris, rerumque fluctibus versabor? O sortem importunam, mihique miseram! Hoc satis illi & super quidem potuisset esse, nisi etiam te mihi, utroque nostrum vivente, praeripere voluisset, praecisa spe consuetudinis fruendae tuae, utilitatisque ex te, fructusque capiendi. At illud quoque unum, quod reliquum videbatur, eripuit; quod scilicet in scribendis ultro citroque litteris erat; nam neque tu scribis, neque scribenti mihi respondes. Quare per observantiam meam erga te perpetuam, singularemque benevolentiam tuam in me ne patiare, ut ad maximas meas, incredibilesque aegritudines hoc etiam incommodi per te addatur. Nam mihi iuranti credas velim,

lim, cum nihil habeam ego, pensatis rebus omnibus, in quo acquiescam, in tuis litteris posita est quasi aberratio doloris mei. Itaque te oro, & obsecro, ne mihi desis; sed potius consilio iuves; & quo miserias meas feram tolerabilius, nos longissimis tuis, creberrimisque litteris appelles. De Rapiliano negotio aliquid in praesentia scriberem, nisi plane cognoscerem, te superiores litteras meas, quibus omnia perscripseram, accepisse. Nunc tamen pro certo habeas velim, me nusquam, tacente etiam te, honori, ac dignitati tuae defuturum. Etenim eae mihi sunt impositae partes a tuis erga me meritis, meque in te observantia, & pietate, ut quaecumque ad tuendam amplitudinem tuam, augendamque pertinent, non solum animi contentione, sed etiam quibuscumque corporis laboribus perficere debeam. Vale.

FASCITELLVS THYLESIO SVO

Ex schedis Bartholomaei Chioccarellii.

MAnutius noster, vir certe nulli secundus, meas opellas ut typis committam heri ad me amicissimas sane litteras benevolentiae amorisque plenissimas misit. Sed ineptissimae meae nugae quod publicae lucis usuram accipiant minime censeo. Eas tibi viro mira sinceritate & sapientia praedito cistula inclusas mitto; iudiciumque tuum cupidissime expecto. Vale.

FINIS.

INDEX
EORVM
QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR





IMPRIMI · DESIIT · IDIBVS · IVNIIS

ANNO · A · PARTV · VIRGINIS

CIↃIↃCCCVIII

REGNANTE

IOSEPHO · NAPOLEONE

PIO · FEL · PP · AVGVSTO

ANNO · REGNI · EIVS

III

FELICITER